OSTENDITUR ÆQUITAS,

ET JUSTITIA SENTENTIÆ,

Quinque abhinc annis, de mandato Sanctitatis Suæ, à Reverendiſſimo Patre

RAPHAELE A LUGAGNANO

Totius Ordinis Minorum S. Franciſci Miniſtro Generali,

Unà cum Patribus Diffinitorii generalis, Romæ exiſtentibus, latæ contra Reverendiſſimum Commiſſarium Generalem Familiæ Ultramontanæ ejuſdem Ordinis,

Favore decem Provinciarum Recollectorum in Gallia exiſtentium:

A FR. MARCO ANTONIO GRAVOIS

Ejuſdem Ordinis Diffinitore Generali.



ROMÆ M.DCC.L.

Superiorum Permiſſu.

1 CUm ad manus meas ex improviso pervenerit supplex quidam Libellus à R. P. Eugenio de Olozaga confectus, ac in Hispania primò,& deinde Romæ typis mandatus contra me, & contra Scripturam, septem ab hinc annis favore Recollectorum Galliæ à me exaratam in Causa prætensæ jurisdictionis Reverendissimi Commissarii Generalis Ultramontanæ Familiæ super eosdem Recollectos, quinque abhinc annis, de expresso Sanctissimi Domini Nostri feliciter regnantis mandato, decisa; conveniens, imò & prorsus necessarium duxi, non quidem sigillatim, & cuilibet articulo contento in dicto Libello adeò voluminoso, & spatio septem annorum concinnato, respondere, cum ob temporis brevitatem, & gravissima Capituli Generalis negotia hoc mihi non liceat; sed ad evidentiam ostendere, æquivocis propositionibus, falsitatibus, imò & dolo refertum esse dictum Volumen: & nonnisi ad tramites prudentiæ, æquitatis, & justitiæ, à Reverendissimo Patre Ministro Generali, & ab aliis Reverendissimis Conjudicibus, anno 1745. judicatam & decisam fuisse memoratam causam.

2 Et primò, ipsum Libelli titulum cavillosum esse, statim deprehenditur, in eodem observando, Patrem Olozaga, simplicem Familiæ Secretarium, qui nec in Capitulo Generali votum habet, universæ Ultramontanæ Familiæ legem imponere velle, ut ipsa suas nænias, & insubsistentes Scripturas Capitulo Generali præsentet = *Libellus supplex præsentandus per manus Familiæ Ultramontanæ* = Ac deinde se in Defensorem, & Advocatum Recollectorum Galliæ erigere velle = *Pro libera facultate earumdem Provinciarum* (Recollectorum Galliæ) *recurrendi ad eumdem Prælatum Generalem*.



3 Suam postea incipit Scripturam idem Pater, factum, de quo tractare intendit, Reverendissimis Vocalibus exponendo, à veritate omnino alienum. Dicit enim, quod à me præsentato quodam Summario bo. me. Reverendissimo Cajetano à Laurino contra jurisdictionem Reverendissimi Torre Commissarii Generalis Familiæ, idem Reverendissimus à Laurino meum supplicem Libellum ad Reverendissimum Torre transmisit; & iste facillimo negotio, prompte, & magistraliter ab omnibus à me expositis se expedivit, sua jura, & rationes producendo per Epistolam die 17. Novembris 1743. Matriti datam: Quod putabatur, & ita judicavit Reverendissimus Torre, sedasse lites, contentiones, jurgia, & schismata à me excitata; at contra evenit, nam in alio Libello, intitulato = *Restrictus juris, & facti*, reproduxi meam chimæricam prætensionem, non novis rationibus stabiliendo, sed easdem jam impugnatas transcribendo, easque typis dando, & crepantibus verbis Zizaniorum semina spargi, multa malè dicendo,

 & ni-

& nihil bene probando: Quod Reverendiſſimus Torre, paterno affectu commotus, *immotus manſit, atque patienter expectandum ad tempus meſſis ſatius duxit*; & licèt ipſe vidiſſet, quàm aerea, ſomniata, & falſa eſſent à me allegata, ſua maxima prudentia ductus, *illa denuo noluit impugnare*, ne ego, & alii *pauci mei conſortes, voce, ac nomine Provinciarum*, lites moveremus, quæſtiones induceremus, & Religionis pacem ac tranquillitatem perturbaremus. Utrum autem *aerea, ſomniata, & falſa* à me allegata, vel potiùs talia ſint ea, quæ tamquam vera hìc aſſerit Pater Olozaga, præſertim dum dicit, quòd Reverendiſſimus Turre, viſo meo *Reſtrictu juris & facti, immotus manſerit, eumque denuò impugnare noluerit, ſed patienter expectandum ſatiùs duxerit*, ſequens demonſtrabit Articulus.

ARTICULUS I.

Quid in Cauſa juriſdictionali, inter Reverendiſſimum Patrem Torre, & decem Recollectorum Galliæ Provincias agitata, peractum fuerit? quâve prudentiâ, & æquitate, in totius ejuſdem Cauſæ decurſu ſeſe geſſerint tùm bo. me. Reverendiſſimus à Laurino, quàm Reverendiſſimus à Lugagnano, digniſſimus Miniſter Generalis Ordinis?

4 CUm Reverendiſſimus Pater Torre varios juriſdictionis actus exercere incœpiſſet ſuper Recollectos Galliæ, ſupplicem Libellum nomine tùm proprio, tùm & plurium Provincialium, quorum Litteras ad hunc finem receperam, bo. me. Reverendiſſimo à Laurino præſentavi, ſupplicans, ut Reverendiſſimo Torre, aliiſque Familiæ Commiſſariis pro tempore exiſtentibus prohiberet, ne ſimiles actus in Recollectos exercerent; ac pariter Galliæ Recollectis, ne ad eoſdem Commiſſarios recurſum facerent, aut ipſorum mandatis obedirent. Supplicem meum Libellum Reverendiſſimo Torre tranſmiſit, qui per Epiſtolam die 17. Novembris 1743. datam, jura ſua, reſponſionemque dicto meo ſupplici Libello produxit. Communicatâ mihi dictâ Epiſtolâ, Scripturam exaravi, intitulatam *Reſtrictus juris, & facti*, de qua Pater Olozaga loquitur in ſuo Libello numero 2., & in Summario ejuſdem ſub numero primo appoſui meum ſupplicem Libellum, ac ſub numero ſecundo integram Reverendiſſimi Torre Epiſtolam, quam idem Pater Olozaga *Magiſtralem* vocat, ut omnibus appareret, utrum exactè, ſolideque contentis in eadem Epiſtola reſponderem. Dicta mea Scriptura cum Summario Typis edita, conſignata fuit A. R. Patri Iduri Commiſſario Generali Curiæ, ut eam iterum Reverendiſſimo Torre tranſmitteret,

ret; qui illâ receptâ, ac examinatâ, alias iterum responsiones, aliaque jura coram Reverendissimo à Laurino deduxit per Epistolam 17. Februarii 1744. datam, quæ sequentibus terminatur verbis = *Hæc sunt, Reverendissime Pater, quæ mihi pronunc occurrunt, zelo, prudentiæ, ac æquitati V. Paternitatis Reverendissimæ proponenda, ad satisfaciendum objectis à R. A. P. Gravois. Vestræ æquitatis erit judicium ferre, meum in omnibus obedire.* Super contentis in hac Epistola, aliquas favore Recollectorum, peregi annotationes, & apud hodiernum Reverendissimum Ministrum Generalem insteti pro Causæ decisione; ipse verò rescribere dignatus est = *Admodum Rev. Patres, Petrus Joannes de Molina Procurator Generalis Discalceatorum, & Vincentius Antonius de Caprarola Definitor Generalis, videant jura, & in scriptis referant vota* = & ambo sub diebus 25. Julii, & 7. Augusti ejusdem anni 1744., visis & examinatis utriusque partis juribus, favore Recollectorum vota sua exararunt. Præsenti Summ. num. 1. & 2.

5 Die 1. Octobris, idem Reverendissimus Diffinitorii Generalis Patres, in Urbe existentes, congregavit pro Causæ discutione: qui cautissimè incedentes decreverunt, præfigendum esse terminum aliorum sex mensium Reverendissimo Torre, ut iterùm sua deduceret jura; addito tamen, quod durante lite, & usque ad Sententiam definitivam Reverendissimus Torre à jurisdictione super Provincias Recollectas Galliæ exercenda se abstineret. *Sum. num.* 3. Huic Decreto obtemperavit Reverendissimus Torre, & die 5. Decembris dicti anni 1744. Reverendissimo Generali scripsit, quod ulteriora sua jura iterum transmittebat, à R. A. Patre Iduri præsentanda, prout de facto præsentata fuerunt. Quæ omnia non ignoravit Pater Olozaga, cum ipsemet documenta transmittenda legalizaverit die 21. Novembris, ac propria manu subscripserit. Quibusdam animadversionibus iterum à me super his novis juribus exaratis, die 6. Julii 1745. rescribere dignatus est Remus Pater Generalis= *Ad eosdem Rev. Adm. Patres, Petrum Joannem de Molina Procuratorem Generalem Discalceatorũ, & Recollectorum, & Vincentium Antonium de Caprarola, ut jura examinent, & scripto votum ferant* = Et ulteriùs die 15. ejusdem Mensis = *Admodum Rev. quoque Patribus, Procuratori Generali Ordinis, & Procuratori Generali Reformatorum pro voto* = Tres primi Votum favore Recollectorum, diebus 13. 14. & 21. Julii exararunt. *Sum. n.* 4. 5. *&* 6. Quartus verò censuit, Reverendissimum Patrem Generalem non esse dictæ Causæ Judicem competentem.

6 Rebus sic stantibus, resolverat tandem Reverendissimus Pater Generalis, Causam unà cum Diffinitorii generalis Patribus terminare; sed ex improviso comparuit R. A. Pater Iduri Commissarius

Generalis Curiæ, qui, ratione officii, de nullitate agendorum in scriptis protestatus est, si idem Reverendissimus ad Causæ decisionem procederet. *Sum. n.* 7. Quibus à Reverendissimo visis, & auditis, consulere decrevit, & de facto consuluit Illustrissimum Dominum Tozzium Sacri Concistorii Advocatum, qui censuit, ipsum, attentis circumstantiis, judicare posse in hac causa; debere tamen à judicio ferendo sese abstinere ex lege decentiæ, & honestatis, causamque ad aliud Tribunal remittere; unde, cohærenter ad istud votum, die 23. Augusti 1745. Decretum edidit, quo, fusè narratis omnibus, & singulis in causa peractis, definiendam eam remisit ad Sanctitatem Suam, ut illam pro Sua Benignitate, auctoritate Apostolica terminare dignaretur. *Sum. n.* 8. Et exarato dicti Decreti duplicato, unum R. A. Patri Iduri tradidit, & mihi alterum, qui statim Sanctissimo supplicavi pro decisione Causæ. *Sum. num.* 9. At Sua Sanctitas, sub die 11. Septembris propria manu rescribere dignata est = *Al Padre Generale, che col Definitorio termini la presente Controversia = Sum. num.* 10. Et eadem die Eminentissimus Cardinalis à Secretis Status Sanctissimi Domini Nostri per Epistolium Reverendissimum Patrem Generalem certioravit de mente & voluntate ejusdem Suæ Sanctitatis. *Sum. num.* 11. In quorum sequelam idem Reverendissimus, die 20. Septembris, Diffinitorii generalis Patres congregavit, & unà cum iisdem, unanimi omnium & singulorum suffragio, favore Recollectorum pronuntiavit, exprimendo in sententia, prout verum erat, hoc ab ipsis fieri de expresso Sanctitatis Suæ mandato. *Sum. num.* 12.

7 Ex hucusque dictis, quæ ex Actis originalibus constant, quilibet judicare potest, quanti roboris existimari debeat hæc Sententia, præcipiente Summo Pontifice, à Reverendissimo Patre Generali unà cum quatuor Officialibus Generalibus Ordinis in Curia Romana existentibus, & duobus Definitoribus Generalibus, tot præhabitis diligentiis, & toties præaudito Reverendissimo Torre, solemniter lata, ac pronuntiata. Judicare pariter poterit, quibus oculis à Reverendissimis Capituli Generalis Vocalibus legi potuerint tot improperia, & convitia, tam contra me, quàm contra hanc Causam, & jura à me allegata, in suo famoso Libello à Patre Olozaga sparsa, & disseminata; contra jura, inquam, quæ Reverendissimis Conjudicibus adeò clara, adeò convincentia visa sunt, ut ipsemet R. A. Pater Iduri, Reverendissimi Torre Procurator, non solùm in sententiam consenserit, eamque receperit, & admiserit, verùm etiam tamquam Judex tulerit, pronuntiaverit, & subscripserit. Abstinui ego a dicto congressu, incongruum reputans, semel ac Recollectorum Procuratoris personam induneram, inter causæ Judices me sedere. Nec silentio præteriri debet,

Re-

Reverendissimos septem Conjudices, Provinciarum Patres esse, quæ proprii Familiæ Commissarii auctoritatem, ac jurisdictionem agnoscunt, & ab eo reguntur, & gubernantur; ac proindè si vel minimum, in causæ discussione, favore Commissarii invenissent arbitrium, tanta unanimitate Recollectorum favore non pronuntiassent, tùm ob reverentiam nativis suarum Provinciarum Superioribus debitam, tùm ob majorem inter Ordinis Provincias Gubernii uniformitatem. Exclamare enim potuissent: Ad quid hæc distinctio? Provinciæ nostræ Commissarii Familiæ jurisdictionem agnoscunt, quare igitur Recollecti Galliæ ab eodem gubernari renuunt? At veritas, & justitia, quam pro Recollectis stare ad evidentiam noverunt, cuilibet respectui, cuilibet argumento prævalere debuit, & de facto prævaluit.

ARTICULUS II.

An Recollectorum Galliæ Provinciæ in hac Causa comparuerint, vel ego solus cum quibusdam paucis?

8 ASserto à Patre Ozolaga, Rmum Torre meum Restrictum juris & facti impugnare noluisse, rationem statim subjungit = *Ne R. A. P. Gravois, & alii pauci consortes ejus, voce, ac nomine Provinciarum, suis Privilegiis abutentes, lites moverent, quæstiones inducerent, & Religionis pacem, ac tranquillitatem perturbarent* = Ipsi enim quamplurimum prodest, in capite dicti sui Voluminis, me coram Reverendissimis Vocalibus traducere, velutì hominem, qui cum aliis paucis voce ac nomine Provinciarum abuti volebam, ad totius Ordinis pacem perturbandam, & tranquillitatem. Viderat tamen Pater Olozaga in Summario, quod impugnat, Decretum Diffinitorii nostræ S. Dionysii Provinciæ, quo Procurator in hac Causa ab eisdem fui constitutus. Viderat in eodem Summario elenchum Litterarum, quas Reverendissimo à Laurino præsentaveram, quasque ad eumdem finem à principalioribus Patribus omnium & singularum nostrarum Galliæ Provinciarum receperam. Ea omnia iterum videre potest *præsenti Summ. num.* 13. Videre pariter potest in eodem Summario *num.* 14. varia alia Decreta, tùm ab integris Provinciarum Diffinitoriis, tùm etiàm ab omnibus quorumdam Capitulorum Provincialium Vocalibus edita, in quibus unanimiter conclamant omnes, se velle manuteneri in sua à Commissario Familiæ independentia, cohærenter ad consuetudinem nunquam interruptam, ad Constitutionem Clementis VIII., ad Decreta Regia, & ad contenta in suis municipalibus Constitutionibus; eaque omnia laudant & approbant, quæ in hac Causa feceram, & facturus eram. Si igi-

tur chimæricam vocare prætendit istam prætensionem Pater Olozaga, non mihi soli, nec paucis meis consortibus, sed omnibus Recollectorum Galliæ Provinciis, & Patribus eam tribuere debet, qui eamdem hauserunt ex Bulla Clementis VIII., & ex omnibus suis Statutis tàm municipalibus, quàm Nationalibus, à principio Recollectionis usque ad præsens editis, in quibus, conformiter etiàm ad praxim, semper fuit inserta. Quis autem verum & legitimum Constitutionis Clementis VIII. relatè ad Recollectas Galliæ Provincias sensum meliùs agnoscere poterit, quàm tot Patres, qui à centum & quinquaginta annis, modò in uno, modò in alio tempore, Compilationem suorum respectivè Statutorum municipalium pro qualibet Provincia ordinarunt: quique continuò videbant, quo sensu in ipsismet Provinciis executioni mandabatur?

9 Nec obstat, quod Statuta Congregationis Nationalis Recollectorum anni 1640. executioni non fuerint mandata. Alio enim modo de Statutis ibidem factis disserendum est, & alio modo de iis, quæ ab omnibus tamquam certa & indubitata præsupponebantur. Tamquam certum, & indubitatum supponebant unanimiter dictæ Nationalis Congregationis Patres, Recollectos Galliæ Commissario Familiæ non subjici; & hoc conformiter ad Breve Clementis VIII., & ad praxim & consuetudinem in suis Provinciis introductam, & sibi notissimam. Hoc nixi fundamento, statuerant inter alia, Recollectos Galliæ imposterùm non teneri ad Congregationes generales Ordinis pergere. Hoc Statutum à Provinciis deindè non fuit receptum; siquidem Indiarum Occidentalium Provinciæ, & Germano-Belgicæ, sicutì Guardianus Magni Conventus Parisiensis, Commissario Familiæ non subjiciuntur; & tamen ad generales Congregationes pergebant. Licèt igitur Provinciæ Recollectorum dictum Nationale Statutum postea rejecerint, non indè sequitur, eos sententiam mutasse, circa independentiam a Commissario Familiæ. Similiter aliud est, quod Recollecti Galliæ in Conventu Aracœlitano, vel Matritensi existentes seu commorantes, ratione domicilii, Superiori Generali subjaceant, cui subjacent dicti respective Conventus; & aliud, quod propriæ ipsorum Provinciæ Commissarium Generalem in Superiorem agnoscere debeant. Sicutì enim ex eo, quod aliquis Religiosus Magni Conventus Parisiensis, Matritum pergens, debeat ibi ratione domicilii in Suporiorem agnoscere dictum Commissarium, non inde sequitur, quod Magnus Conventus eidem Commissario subjiciatur; ita ex eo, quod Recollecti Galliæ, ad Conventum Aracœlitanum accedentes, coacti fuerint in Superiores recognoscere tùm Procuratores Generales Ordinis, tùm & Commissarios Familiæ, non indè sequitur, ad idem teneri ipsasmet Recollecto-

rum

rum Provincias. Et ratio est, quia Breve Clementis VIII. emanavit pro gubernio Custodiarum, & Provinciarum Recollectarum, ac Religiosorum in eis commorantium; non verò pro Recollectis, qui è propriis Provinciis recedentes, ad alias partes pergunt.

ARTICULUS III.

Utrum Provinciæ Recollectorum Galliæ, ab anno præsertim 1670. à solis Ministris Generalibus gubernatæ fuerint?

10 IN meo Restrictu juris & facti dixeram, omnes Recollectorum Galliæ Provincias inconcussè & inalterabiliter à solis Ministris Generalibus fuisse gubernatas; ex quo inferebam, Statutum Vallisoletanum anni 1670., contradicentibus unanimiter dictis Provinciis, executioni non fuisse mandatum, utpote Constitutioni Clementis VIII è diametro oppositum. De crimine falsi me accusat Pater Olozaga, & à num. 485. usque ad 520. demonstrare prætendit, omnes Galliæ Provincias, etiam Recollectorum, ad Commissarios Familiæ ab illo tempore usque ad præsens, pro sui gubernio recursum fecisse. Si tamen à suo Elencho segregentur ea omnia, quæ solas Observantium Galliæ Provincias respiciunt, nil aliud remanebit, nisi variæ obedientiales Litteræ, quibusdam Fratribus particularibus Recollectis concessæ, qui ut plurimum in Hispaniis reperiebantur; & magno illo octuaginta annorum spatio, deputatio trium Visitatorum pro tribus celebrandis Capitulis Provincialibus, videlicet num. 497. ad annum 1670. *Die* 1. *Junii dedit commissionem visitandi Custodiam S. Nicolai in Lotharingia, & præsidendi Capitulo, Patribus F. Policarpo Mellet, & F. Urbano Cuillet* = n. 510. = *Die* 23. *Januarii* 1671. *dedit commissionem visitandi Provinciam Britanniæ P. Fr. Juvenali Doulcet* = Et n. 514. Die 1. Junii 1694. = *Patentes Visitatoris Provinciæ S. Andrææ in Belgio R. Patri Fr. Hiacyntho Le Fevre Ministro actuali* = Quibus addi potest licentia celebrandi Congregationem Provinciæ S. Bernardini, a Reverendissimo Torre data, de qua ibidem num. 461. *Ex Regesto Reverendissimi Torre pag.* 257. *tit. Prov. S. Bernardini Recollectorum in Gallia, ibi* = 1742. 24. *Novembris expedivit Litteras Patentes, & facultatem celebrandi Congregationem R. Patri Provinciali ad petitionem totius Deffinitorii*. Cum tamen nulla ex dictis Patentibus executionem habuerit; sed dicto spatio octuaginta annorum omnia generaliter Provincialia Capitula, omnesque Congregationes omnium & singularum Recollectorum Galliæ Provinciarum, auctoritate solius Ministri Generalis celebrata fuerint, nunquam verò auctoritate Commissa-

riorum

riorum Familiæ, nec ullum negotium ad istorum tribunal delatum fuerit; quomodo de falsi crimine accusari possim, ex eo quod talia asseruerim, prorsus ignoro.

11 Et certè, quod attinet ad Patrem Policarpum Mallet, visitavit ille Lotharingiæ Custodiam, & illius Capitulum celebravit, non quidem auctoritate Commissarii Familiæ, sed Reverendissimi Ministri Generalis Francisci Mariæ Rhini, qui ad hunc finem Litteras Patentes ei dedit sub die 28. Aprilis 1671. *Summ. num.* 15. Similiter Pater Juvenalis Doulcet Provinciam Britanniæ visitavit, vigore Patentalium, quas ab eodem Reverendissimo Ministro Generali die 21. Aprilis ejusdem anni 1671. receperat = *Summ. n.* 16. Tandem P. Hiacinthus Le Fevre Provinciam S. Andrææ pariter visitavit anno 1695. post receptas ad hunc finem Patentales Litteras à Reverendissimo Bonaventura Pöerio Ministro Generali Ordinis. *Summ. num.* 17. Ex quibus resultat, alias Patentes à Commissariis Familiæ, ut supra, datas, & quidem immediatè post Capitulum Vallisoletanum anni 1670. in Gallia non fuisse receptas, nec executioni mandatas.

12 Transitum nunc facientes ad licentiam à Reverendissimo Torre datam Provinciæ S. Bernardini, celebrandi Congregationem, *ad petitionem*, ùt habetur in ipsius Regesto, *totius Diffinitorii*; sciendum est, quod Reverendissimus Torre in Vice-Commissarium electus, circulares Litteras de dicta sua electione ad Provincias transmisit; & P. Philippus Ripert, tunc temporis Provincialis Provinciæ S. Bernardini, vel inadvertenter, vel ob aliquem suum finem particularem, eas in Provincia publicari præcepit. Monitus tamen, quod hoc fieri non debebat, & statim celebrato Provinciæ Capitulo, Decretum in eodem edidit cum aliis Diffinitorii Patribus die 10. Septembris 1741. quo præcipiebatur, ut dictæ circulares è Conventuum Regestis, in quibus fuerant insertæ, eraderentur, & hoc, *ut non attentaretur auctoritati Reverendissimi Patris Generalis, & cohærenter ad Bullas Apostolicas, & Decreta Regia, quibus nobis prohibetur alios à Ministris Generalibus agnoscere Superiores*. Verba sunt Decreti. *Sum. num.* 18. Elapso vix anno, die scilicet 27. Octobris, Provincialis cum tribus ex Diffinitorii Patribus Reverendissimo Ministro Generali scripsit pro licentia anticipandi Congregationem intermediam = *Sum. num.* 19., (in dicta enim Provincia, unica celebratur) Et die sequenti, Reverendissimo Torre pariter pro eadem licentia scripserunt, inter alia in sua Epistola dicentes = *Novimus plane, nos ipsi esse immediate subjectos, & jure, voluntarièque gloriamur, & volumus ab ipsa omnino dependere. Sum. n.* 20. Quomodo autem hæc cohæreant cum Decreto mox allato, & ab ipsis iisdem subscripto, judicent alii, & simul observent, tres Diffini-

finitores huic Epistolæ non subscripsisse, quo non obstante, in Regesto Reverendissimi Torre sincere fuit insertum, concessam fuisse *licentiam celebrandi Congregationem ad petitionem totius Definitorii*. Reverendissimus à Laurino non solum petitam denegavit licentiam, sed expresse prohibuit, ne anticiparetur Congregatio; facultatem è contra eamdem anticipandi concessit Reverendissimus Torre; Cumque eam celebraturi essent, Christianissimus Rex, me cum aliis Provinciæ Patribus instante, præcepit, ut mandatis Reverendissimi Generalis obediretur; ac postea tres ex dictis quatuor Patribus in exilium extra Provinciam misit: quæ omnia sub die 29. Martii 1743. Reverendissimo à Laurino scripta sunt ab aliis tribus Diffinitorii Patribus = *Sum. n.* 21. Quibus respondens idem Reverendissimus, dixit = *Ægrè accepimus agendi modum R. Patris Ripert, recurrentis ad Reverendissimum Commissarium Generalem Familiæ pro celebratione vestræ Congregationis contra jus nostrum, & prohibitionem, quam miseramus, de non accelerare ipsam; nunc factorum suorum pœnas luet*. *Sum. n.* 22. Hæc sunt Beneficia, quæ nostris resultarent Provinciis, si facultatem haberemus recurrendi immediatè, ad arbitrium nostrum, vel Ministro Generali, vel Commissario Familiæ. Quilibet nunc judicet, quo titulo Pater Olozaga in crimen mihi vertat, quod in hoc casu recursum ad Regem fecerim; cum debuissem, inquit, pro opportuno remedio ad Reverendissimum Generalem recurrere.

13 Consuetudo Recollectorum Galliæ non recognoscendi Commissariorum Familiæ jurisdictionem, magis ac magis apparet ex peractis post electionem Reverendissimi Soto in Commissarium Familiæ. Statim enim ac fuit electus, circulares Litteras transmisit Recollectorum Provinciis, quibus tùm de sua electione, tùm de Celebratione Capituli generalis eos certiorabat. At coram Reverendissimo Patre à S. Laurentio recursum fecerunt Recollecti, demonstrantes se nunquam gubernatos fuisse à Commissariis Familiæ; dictus autem Reverendissimus, rationibus utriusque partis auditis, & examinatis, decrevit, *nihil innovari*; & deinde easdem Provincias gubernavit, sicutì postea a Reverendissimo à Pareta gubernatæ fuerunt. Totius negotii series distinctè videri potest in duabus Litteris, tunc Reverendissimo à S. Laurentio scriptis à Ministro Provinciali Provinciæ S. Dionysii, & à P. Saturnino Dirop, tunc temporis pro Recollectis Deffinitore generali; quæ ambæ conservantur in Archivio Aracœlitano. *Sum. num.* 23. & 24. Prætendit tamen Pater Olozaga, quod, his non obstantibus, Reverendissimus Soto, tempore sui Commissariatus, jurisdictionem exercuerit super Provincias Recollectas; & num. 517. ex Regesto ejusdem Reverendissimi notat, quod *dedit*

Lit-

Litteras Patentes Patri Cæsario Poserandi Prædicatori, & Exdeffinitori Recollecto Massiliæ. Item Literas obedientiales 12. Novembris 1724. Fr. Damaso de Mija, Fr. Eugenio Caupel, & Fr. Gilberto Bescofre, filiis Provinciæ Sanctissimi Sacramenti Recollectorum. Item Fr. Eutropio Martin Prædicatori, filio Immaculatæ Conceptionis Aquitaniæ, ut incorporaretur in Provincia Cantabriæ. Hi sunt Actus jurisdictionis, spatio sex annorum, à Reverendissimo Soto Commissario generali Familiæ, relatè ad decem Recollectorum Provincias exerciti, quibus probare intendit Pater Olozaga, falsum esse, quod dictæ decem Provinciæ à solis Reverendissimis à S. Laurentio, & à Pareta inconcussè & inalterabiliter gubernatæ fuerint. Patrem Cæsarium novi, cum fuerit meæ Provinciæ filius; & scio, ipsum per aliquot annos in Hispaniis commoratum fuisse, quod sciunt pariter RR. Patres Vocales ejusdem meæ Provinciæ. Si igitur Reverendissimus Soto illi forsan dederit Patentales, vel Obedientiales, ut ad propriam rediret; quid hoc, quæso, ad Provinciæ Gubernium facit? Quid facit pariter ad idem Gubernium incorporatio in Provincia Cantabriæ Fratris Eutropii Martin? Aliquid possent facere Litteræ Obedientiales, anno 1724. tribus Religiosis Provinciæ nostræ Sanctissimi Sacramenti datæ, ut in Observante Provincia Aquitaniæ recentioris incorporari possent. At in Regesto Reverendissimi Soto annotare debuissent, quod dictæ licentiæ effectu caruerunt, habito recursu tàm ad Reverendissimum Ministrum Generalem, qui decreverat, *nihil innovari* in gubernio nostrarum Provinciarum, quàm ad Christianissimi Regis Ministros = *Sum. num.* 25. prout etiam testari poterunt Vocales duarum illarum Provinciarum.

ARTICULUS IV.

Declarationes aliquæ pro tollendis è medio variis æquivocationibus, in Volumine Patris Olozaga sparsis.

14 IN Statutis municipalibus alicujus Provinciæ debet distingui id, quod à Provincia expressè pro sui Gubernio stabilitum fuit, ab eo, quod ibidem refertur, à Summis Pontificibus determinatum. Primum vocari debet Statutum à Provincia factum, non ita secundum: hocque supposito, quod omnibus notum est, Recollecti Galliæ nullum unquam fecerunt Statutum, Commissariis Generalibus, seu eorum jurisdictioni præjudiciale; sed solummodo in suis Statutis id inseruerunt, quod legerunt in Constitutione Clementis VIII, quodque continuò in suis respectivè Provinciis practicari viderunt: nempè, quòd à Ministris Generalibus Or-

di-

dinis tantum, vel à solis Ministris Generalibus dictæ suæ Provinciæ regebantur.

15 Iidem non tenentur Constitutionibus generalibus Ordinis, non solum si sint contrariæ Strictiori ipsorum Observantiæ, sed etiam si iis adversentur, quæ in Constitutionibus Apostolicis, sui favore emanatis, continentur. Undè cum Statutum Vallisoletanum anni 1670. sit contrarium Constitutioni Clementis VIII, eidem non tenebantur, utpote nulliter facto, juxta clausulas dictæ Constitutionis, quibus sub pœna nullitatis prohibetur Capitulis Generalibus aliquid peragere Constitutioni contrarium. Certum est autem, quod per Capitulum Generale intelligitur Congregatio omnium Vocalium, qui ad illud accedunt, sivè sint Observantes, sive Reformati, sive Recollecti; & ideo non mirum, si, non obstante dicto Statuto, Provinciæ Recollectorum semper gubernatæ fuerint à solis Ministris Generalibus.

16 Somniantis est dicere, Ministrum Generalem, & Commissarium Generalem Familiæ habere jurisdictionem cumulativam relatè ad illas Provincias, quas Commissarius Generalis per se visitare non potest, minimè verò relatè ad alias. Nullum enim invenietur Statutum, quod vel per umbram hoc dixerit. Deinde, si ob hanc rationem Recollectorum Provinciæ gubernatur à Ministris Generalibus, dicant mihi, cur etiam non regantur eodem modo omnes Lusitaniæ, & Indiarum Orientalium Provinciæ? Tàm enim ad minus difficile est Commissario Familiæ ad dictas partes pergere, quàm ad Recollectorum Provincias. Similiter cur Minister Generalis Ultramontanus duas Corsicæ Provincias cumulativè non gubernat, ad quas visitandas nunquam pergunt Commissarii Familiæ Cismontanæ? Ulterius nunquam probari poterit, quod vel unum Provinciale Capitulum, in Recollectorum decem Provinciis, ab earum erectione, celebratum fuerit auctoritate Commissarii Generalis, vel una Congregatio intermedia, vel quid aliud simile, verè & essentialiter concernens Provinciarum gubernium. Dicant igitur in quo consistat, & ad quod se extendat pro parte Commissarii, prætensa illa cumulativa jurisdictio. Forsan ad dandas furtim, & clandestinè, spatio trium vel sex annorum, tres vel quatuor obedientiales Litteras quibusdam Fratribus particularibus? Adsunt hîc omnes nostrarum Provinciarum Vocales, inter quos aliqui jàm pro secunda & tertia vice Provincialis munus exercent, quique Capitulis generalibus tàm anni 1740. quàm 1729. astiterunt; parati sunt omnes cum omni veritate, & etiam juramento, si opus fuerit, testari, executionem similibus obedientialibus in Provinciis nostris nunquam dari. Forsan ad transmittendas aliquas Circulares, vel pro convocatione Capituli Generalis, vel pro aliquo alio Ordinis negotio? Testabuntur pariter,

simi-

ſimiles Circulares in Provinciis noſtris, a tempore, quo ſunt Religioſi, nunquam fuiſſe publicatas, quantumcumque aliquis Provincialis, noviter forsàn ad talem dignitatem evectus, ſtatim ab eorum receptione, inadvertenter & inconſultè reſponderit, ſe eas publicaturum. Et certè, ſicutì Reverendiſſimus Miniſter Generalis, Romæ exiſtens, ſuas circulares mittit Commiſſario Generali Familiæ Ultramontanæ, Commiſſario Generali Indiarum, & Commiſſario Nationali Germano-Belgico, ut quilibet ipſorum in Provinciis ſibi reſpectivè ſubjectis eas publicari curet; ita eas directè & immediatè tranſmittit cuilibet Miniſtro Provinciali decem Recollectorum Provinciarum, ut unuſquiſque in ſua Provincia eas pariter publicari faciat. Si igitur illas eaſdem Circulares Commiſſarius Familiæ etiam tranſmittat eiſdem Recollectorum Provincialibus, ſique exemplar ab ipſo miſſum publicari debeat, eadem circularis bis publicabitur, ſemel ut miſſa à Miniſtro Generali, & denuò ut miſſa à Commiſſario Familiæ.

17 Verum eſt, quod, ordinarie loquendo, per *Superiores Generales* intelliguntur, tàm Miniſter Generalis, quàm Commiſſarius Familiæ; quod etiam, quidquid dicitur in Statutis de Miniſtro Generali, debet intelligi de Commiſſario Familiæ, quando agitur de earum Provinciarum gubernio, quæ Commiſſarii Familiæ juriſdictionem agnoſcunt. Hoc tamen falſum eſt, ubi de Miniſtro Generali ſermo habetur relatè ad alias Provincias. Undè, ſi dicatur, quod à Commiſſario Generali Indiarum datur appellatio ad Miniſtrum Generalem, & etiam à Commiſſario Nationali Germano=Belgico, vel à Guardiano, & Diſcretorio Magni Conventus Pariſienſis, certum eſt, & omnibus notum, quod tunc ſub nomine *Miniſtri Generalis* non comprehenditur Commiſſarius Familiæ. Imò Breve Sanctiſſimi = *Sacroſancti* = dat. 2. Auguſti 1748. in quo præcipitur, ut appellatio fiat à Provinciali ad Commiſſarium Generalem Familiæ, *Si de negotio, & cauſa agatur, Familiam dicti Commiſſarii concernente*, hoc, inquam, Breve debet intelligi prout ſequitur, videlicet = *Si de negotio, & cauſa agatur concernente Provincias, juriſdictioni Commiſſarii Familiæ ſubjectas*; alias in Familia noſtra daretur appellatio ad Commiſſarium Familiæ à Commiſſario generali Indiarum, à Commiſſario Nationali Germano-Belgico, & a Guardiano & Diſcretorio magni Conventus Pariſienſis: quod nemo hodiè affirmabit. Nec dici poteſt injurioſam eſſe Bullæ Leonis X. independentiam Recollectorum à Commiſſario Familiæ: ſi enim abſque ullo talis Bullæ præjudicio à dicti Commiſſarii juriſdictione eximuntur Provinciæ Indiarum Occidentalium, & Germano-Belgicæ, ut gubernentur à Commiſſariis, Commiſſario Familiæ dignitate inferioribus, à fortiori abſque ejuſdem præjudicio potuerunt Recollecti Galliæ ab eadem

dem jurisdictione eximi, ut à Successore S. Francisci, juxta primarium jus Religionis, immediatè gubernentur.

18 Gratis asseritur, Brevia *Cupientes*, quibus Clemens VIII. sub die 2. Octobris 1600., & Paulus V. die 8. Julii 1615. Reformatos Italiæ subjecerunt Commissariis Familiæ Maculino, & de Gabiano, cum expressione in quolibet Brevi = *Tibi, durante officio tuo* .. .. *& absentia Ministri Generalis* ... *& vice ac loco ipsius, prædictum Ordinem universum Fratrum Reformatorum* .. *regendi, & gubernandi liberam facultatem, & auctoritatem tribuimus* = fuisse excitativa jurisdictionis ordinariæ, quam tunc temporis jam habebant super Reformatos dicti Commissarii. Si enim talem jurisdictionem ordinariam habuissent dicti Commissarii, cum vi illius potuissent, & debuissent, Reformatos gubernare, non solum absente, sed etiàm præsente Ministro Generali, dicta Brevia limitativa fuissent, non excitativa jurisdictionis ordinariæ; eam enim limitassent ad solum tempus absentiæ Ministri Generalis. Unde ad evidentiam patet, duos illos Pontifices auctoritatem super Reformatos dedisse duobus illis Commissariis, quam non habebant, sed restrictam ad tempus Officii cujuslibet, & absentiæ Ministri Generalis. At super hoc videantur vota RR. AA. Patrum Petri Joannis de Molina, & Vincentii Antonii de Caprarola *in Sum. n.* 1. 2. 4. & 5. Eodem ferè tempore, ab anno scilicet 1600. ad 1612. non solùm Familiæ Commissario non subjiciebantur Recollecti Galliæ, sed etiàm multùm, relatè ad ipsos, limitabatur jurisdictio ipsiusmet Ministri Generalis. Habebant enim Apostolicos Commissarios, qui auctoritate, a Summis Pontificibus sibi collata, eos regebant, & Recollectionem extendere satagebant, de quibus loquitur Gubernatis tom. 2. lib. 7. c. 4. n. 244. ibi = *Adveniens in Gallias P. Nathanael le Sage, ex Franciæ Provincia Commissarius Apostolicus, & Visitator Generalis à Clemente VIII. deputatus, ad introducendam, & obfirmandam in universa Gallia Sanctam Recollectionem* = & num. 245. *Quos demum P. Mathurinus antedictus, Patris Nathanaelis in Apostolico Commissariatu successor, mirè multiplicavit, & Custodiam sub titulo S. Francisci Recollectorum erexit*. Et num. 270. ad annum 1612. fit mentio *Patris Joannis Andreæ Commissarii Fratrum Reformatorum Galliæ*. Erectis tamen isto anno duabus Provinciis cum una Custodia, inter alia concordatum fuit, quod in omnibus subditæ forent Generali Ministro, sicut aliæ Provinciæ Ordinis, videlicet sine restrictione, aut limitatione, addita statim clausula = *Sed si Generalis Minister per seipsum non potuerit visitare prædictas Provincias, & Custodiam, & earum Provincialibus Capitulis interesse, Commissarium ex Reformatis ad hoc munus deputabit ipse Generalis Minister* = Quod si postea

ftea Minifter Generalis Hierro tentaverit addere fubjectionem etiam illorum ad Commiffarium Familiæ, fatis fuperque conftat, ipfos ftare voluiffe expreffis in concordato, cum ab illo tempore ufque ad præfens nullum receperint Commiffarium Vifitatorem, nifi fuerit Recollectus, ac deputatus a folo Miniftro Generali.

19 In meo Reftrictu juris & facti afferueram, quod ab anno 1625. ufque ad 1670. novem fucceffivè Diffinitores Generales habuerant Recollecti noftri. At de crimine falfi me redarguit Pater Olozaga, cum feptem tantum ipfe invenerit. Si tamen obfervaffet, quod anno 1636. novum Deffinitorium Generale creavit Urbanus VIII. per Litteras Apoftolicas, in quibus unus Recollectus in Diffinitorem Generalem inftitutus legitur, fique poftea alium Recollectum in ipfo Capitulo Generali anni 1670. electum addidiffet, novem ab anno 1625. ufque ad 1670. inveniffet. Ibidem afferueram etiam, quod Capitulo 1670. pauci ex noftris Recollectis aftiterant, quodque proteftatio, & appellatio interpofita fuerat contra omnia, quæ in eodem Capitulo in præjudicium Provinciarum noftrarum peractum fuerat. Afferit incontrarium Pater Olozaga, quod omnes Recollecti, excepta S. Dionyfii Provincia, dicto Capitulo interfuerunt; quodque proteftatio, & appellatio ibidem interpofita, non refpiciebat Statuta Capituli, fed folummodo quafdam Caufas, Miniftrum Provincialem dictæ Provinciæ concernentes. Si autem in hoc erravi, mea culpa non eft, cum circa iftud punctum nil aliud fecerim, quàm ea tranfcribere, quæ olim Reverendiffimo à S. Laurentio à Patribus gravibus repræfentata fuerant, ut coftat ex manufcriptis, quæ in Archivio noftro SS. 40. Martyrum affervantur, & videri etiam poteft in *Summ. num.* 23. *&* 24.; Dixi, fi in hoc erravi, forfan enim in Archivio noftro Parifienfi aliquid invenietur, ad refpondendum tempore opportuniori, huic objectioni. Sufficiat mihi pronunc, quod hoc Statutum facere non potuerit Capitulum generale, quodque in Provinciis noftris executioni non fuerit mandatum, ut fupra probatum eft.

20 Multa in fuo voluminofo Libello dicit Pater Olozaga de jurifdictione Miniftri Generalis, & Commiffarii Generalis Familiæ, & de iis, quæ poteft, vel non poteft idem Minifter Generalis relatè ad dictum Commiffarium, & Familiam ejus, quæ parum mihi videntur concernere noftrarum Provinciarum Caufam; nihilominùs abs re non erit hîc referre, quæ tempore Patris Gubernatis, à Rmo Marino Germano, Miniftro Generali, peracta funt. Integram feriem fic refert ipfe Gubernatis tom. 4. pag. mihi 272. = *Cum igitur ex diligenti prudentium Patrum indagine, poft ultima Ordinis Comitia Toletì celebrata anno* 1682. *dubia nonnulla, & quidem gra-*

gravissima emerserint, quæ publicum Ordinis gubernium, aut Provinciarum pacem immediate respiciunt, nempe circa formam in Officialium Curiæ deputatione servandam ... Quid agere possit, aut debeat Minister Generalis, quo casu recursus à Commissario Generali alterius Familiæ ad ipsum interponatur.... Dubia itaque sibi proposita prudentissimus Generalis, ut omni cautela, & securitate pro feliciori Ordinis gubernio posset decidere, ita ut obligare valeant, per peritissimos, qui essent in Urbe, tota diligentia examinari, & integro rigore disputari mandavit. Deinde per extensum refert pag. 343. Votum à dictis peritissimis Patribus, qui essent in Urbe, unanimiter, & nemine contradicente exaratum super dubio, Commissarium Generalem concernente, in quo Voto sic loquuntur dicti Patres = *Liquido apparet, tria quæsita in hoc puncto principalia contineri. Primò, an à Commissario Generali alterius Familiæ ad Ministrum Generalem detur legitimus recursus? Secundò, an Minister Generalis licitè possit Commissarios suos speciales, & à Commissario Generali independentes destinare ad aliquas Provincias in Familia Commissarii Generalis? Tertiò, an Ministro Generali liceat, aliquam ex hujusmodi Provinciis alterius Familiæ, suæ immediatæ jurisdictioni reservare, ita ut interim non liceat Commissario Generali Familiæ illius, de tali sic reservata Provincia se ullatenus intromittere.* Postea multis eruditè super hac materia discussis, allatisque variis objectionibus, eisque solutis, concludunt: Primò, *quod à Commissario Generali alterius Familiæ, ad Ministrum Generalem totius Ordinis datur simpliciter appellatio, & recursus.* Secundò, *licere Ministro Generali, nulla apposita causa, sed prout secundùm Deum melius sibi videbitur expedire, destinare Commissarios speciales ad aliquas Provincias in Familia Commissarii Generalis.* Tertiò tandem, *quocumque tempore, etiam extra Capitulum, licere Ministro Generali exercere suam, ut supremi capitis, auctoritatem, quoad aliquas Provincias, aut negotia sibi specialiter reservanda.*

21 Hæc pro nunc sufficiant; non enim, ut initio dixi, posibile mihi est tempore adeo brevi, & attentis aliis negotiis, occasione Capituli Generalis quolibet momento occurrentibus, integro Libello Patris Olozaga respondere. Puto tamen, quod ex dictis sufficienter cuilibet innotescet justitia & æquitas Sententiæ favore Recollectorum nostrorum datæ, toties audito Reverendisimo Torre: omnesque pariter agnoscent, eamdem jam transiisse in rem judicatam. Quapropter &c.

Fr. Marcus Antonius Gravois Minor Recollectus.

SUMMARIUM

Num. 1.
Primum Votum R. A. Patris Vincentii Antonii de Capraro-la Diffinitoris Generalis Ordinis, favore Recollectorum.

Reverendissime Pater = Prætendente Reverendissimo Patre Ludovico della Torre, Commissario Generali Ultramontanæ Familiæ, suam extendere jurisdictionem supra Recollectos Galliæ: & è converso contendentibus istis se esse immediate subjectos Paternitati Vestræ Reverendissimæ; requisitus ego, ut super hac Controversia, pendente coram P. V. Reverendissima, sensum meum aperirem, visis proinde juribus hinc inde adductis, & attente scrutatis Constitutionibus Apostolicis, aliisque visis videndis, & considerratis considerandis, sum in sensu dictos Galliæ Recollectos esse immediate subjectos P. V. Reverendissimæ, absque eo quod Reverendissimus Commissarius Generalis Familiæ jurisdictionem ullam valeat super illis exercere: & moveor a sequentibus.

In Constitutione enim Gregorii XIII., quæ incipit = *Cum illius vicem* = scriptam reperio exemptionem PP. Reformatorum à jurisdictione Reverendissimi Commissarii Generalis, cum eorum subjectione soli Reverendissimo Ministro Generali; cumque hæc Bulla Gregoriana fuerit per Clementem VIII. extensa ad Recollectos Galliæ per alteram Bullam sub datum 12. Octobris, quæ incipit = *Pro injuncti nobis* = quæ subinde fuit confirmata per Paulum V., Gregorium XV. & Urbanum VIII. mediantibus Constitutionibus relatis apud Gubernat. tom. 2. pag. 355. 407. 408. & 418., hinc proinde dubitari non valet, dictos Recollectos esse immediate subjectos soli Ministro Generali, privativè ad Commissarios Familiæ, cum hæc fuerit voluntas Papæ *pandita* in dictis Constitutionibus, quas nemo non scit debitam executionem & venerationem promereri; & attenta clausula sublata, & decreto irritante, quibus munitæ sunt dictæ Constitutiones, adempta est cuicunque Judici & Tribunali facultas diversimode judicandi.

Nec prædictis Constitutionibus adversari mihi videtur altera Constitutio Clementis VIII. edita 2. Octobris 1600., qua mediante data fuit jurisdictio Reverendissimo Maculino, tunc temporis Commissario Generali, supra Reformatos; unde hodiernus Reverendissimus Commissarius Generalis inferre conatur, quod per hanc Bullam abrogata remanserit Constitutio Gregoriana, & sic figi non possint pedes super altera posteriori Bulla Clementina, extendente Gregorianam Constitutionem ad Recollectos Galliæ.

Vi-

Visa enim per me littera dicti Brevis directi Reverendissimo Maculino, tunc temporis Commissario Generali, legi in eo delegatam jurisdictionem supra Reformatos, non purè & simpliciter, nec per verba tractum successivum & perpetuitatem indicantia, sed restrictive ad ejus personam, durante ejus officio, & durante absentia Ministri Generalis; unde cum dicta Bulla sit mere personalis, & ad tempus; & in ea cautum sit, ut dictus Maculini, vice & nomine Ministri Generalis gubernet, durante officio suo, & durante absentia Ministri Generalis, per hanc Bullam non modo non destrui, sed potius confirmari jurisdictionem Ministri Generalis supra dictos Reformatos privative quoad Commissarium Generalem, qui debeat jurisdictionem exercere supra Reformatos, non proprio, sed nomine Ministri Generalis, profectò non sibi, sed dicto Ministro Generali totalis jurisdictio attributa dicenda est.

Et in hunc sensum eo magis moveor, attento quod idem Summus Pontifex Clemens VIII. anno subsequenti aliam edidit Constitutionem, qua mediante fecit extensionem Bullæ Gregorianæ ad Recollectos Galliæ; quæ extensio fuit etiam successivè confirmata, & approbata à pluribus Summis Pontificibus, nempe à Paulo V., Gregorio XV., & Urbano VIII. Si enim Clemens VIII. per Bullam directam Reverendissimo Maculino habuisset intentionem revocandi Bullam Gregorianam tribuentem soli Ministro Generali jurisdictionem supra Reformatos, eosque subjiciendi Reverendissimis pro tempore Commissariis, certe quod anno subsequenti non extendisset dictam Bullam Gregorianam ad Recollectos Galliæ, nec alii Summi Pontifices hanc extensionem successive confirmassent: quæ quidem ampliatio & extensio manifestum nobis præbent indicium, Bullam Gregorianam non solum non fuisse unquam revocatam, sed potius magis magisque fuisse in suo robore conservatam.

Nec ad sibi reconciliandam jurisdictionem supra Recollectos Galliæ juvat Reverendissimo Commissario Generali allegare statuta Ordinis nostri, & signanter illud anni 1670., ubi videntur Recollecti sese subjecisse jurisdictioni Commissarii Generalis, in cujus subjectionis correspectivitate datus eis fuit Deffinitor Generalis. Etenim in hac parte placuerunt mihi responsiones datæ pro parte Recollectorum, qui primo loco ostenderunt longe ante dictum Statutum datum eis fuisse Deffinitorem Generalem; unde ex hoc cessat decantata correspectivitas.

Secundo loco dicunt, nullam vim fieri debere in dicto Statuto;

quia

quia adversus illud Provinciæ omnes Recollectæ reclamarunt, etiam mediante recursu ad Regem, obtinueruntque executionem suspendi, donec à S. Sede aliter fuerit judicatum, taliter ut dictum Statutum nunquam habuerit effectum.

Et tertio tandem loco observatur, quod cum ageretur hîc de danda jurisdictione Reverendissimo Commissario Generali Ultramontanæ Familiæ in præjudicium privativæ jurisdictionis competentis soli Ministro Generali vigore Constitutionum Apostolicarum, de quibus supra meminimus; non erat in libertate DD. PP. se eximere à jurisdictione unius, & se subjicere jurisdictioni alterius; cum hoc esset lædere jus tertii, & evertere Constitutiones Apostolicas, quod nemini permissum est.

Denique nec ad intentum Reverendissimi Commissarii Generalis conducunt quidam actus jurisdictionales, qui per Commissarios Generales pro tempore prætenduntur exerciti super Recollectos Galliæ, prout asseritur apparere in Regestis Matriti existentibus. Ultraquamquod non probatur, dictos jurisdictionales actus aliquo authentico documento, ac suum habuisse effectum, cum possit stare bene simul, quod Reverendissimi Commissarii Generales tentaverint dictos jurisdictionales actus, & quod è converso fuerint contradicti, sicutì evenit anno 1688., alia in promptu est responsio, quod cum dicti actus sint contrarii Constitutionibus Apostolicis, tribuentibus privativam jurisdictionem soli Ministro Generali; hinc nullius remanent roboris & momenti ad effectum, de quo modò agitur, dum in Constitutionibus Apostolicis adest Decretum irritans, cujus indoles ea est, irritare quamcumque consuetudinem, quæ sit contraria Constitutionibus Apostolicis; & tanto minus fundamentum mihi videtur constitui posse in dictis actibus, si qui sint exerciti per Reverendissimos pro tempore Commissarios Generales, quia idemmet hodiernus Reverendissimus Commissarius Generalis ingenuè fatetur, eodem tempore Ministros Generales eamdem exercuisse supra Galliæ Recollectos jurisdictionem, quod revera ita est, & evidenter constat ex authentico documento existente penes R. A. P. Gravois Diffinitorem Generalem. Unde quemadmodum per actus jurisdictionales exercitos per Ministrum Generalem conservata dicitur jurisdictio Ministri, & in suo robore servatæ Constitutiones Apostolicæ, ita è converso actus, si qui sint exerciti per Reverendissimos pro tempore Commissarios Generales, tamquam contrarii dictis Constitutionibus Apostolicis

di-

dicuntur clandestini, & turbativi, qui nihil ponunt in esse, & nullo numero habendi sunt ad effectum infringendi jurisdictionem, quam solus Minister Generalis valet & debet super Recollectos Galliæ privative quoad Reverendissimum Commissarium Generalem Familiæ Ultramontanæ, vigore Constitutionum Apostolicarum indubitanter exercere: & ita dico, salvo semper maturiori judicio Paternitatis V. Reverendissimæ, cui submisse me subjicio. Romæ ex Aracoeli die 28. Julii 1744. humillimus Servus & Filius Fr. V. Antonius de Caprarola.

Num. 2. *Primum Votum R. A. Patris de Molina Procuratoris Generalis Discalceatorum, favore eorumdem.*

Reverendissime Pater = Cum Reverendissimus P. Commissarius Generalis Ultramontanæ Familiæ, Fr. Joannes à Turre a sua electione in Vice-Commissarium Generalem tentasset suam exercere jurisdictionem super Fratres, & Provincias Recollectorum Galliæ, ab his interpositus fuit recursus ad Reverendissimum P. a Laurino P. V. Reverendissimæ Prædecessorem, quo instabant manuteneri in sua exemptione a jurisdictione dicti Commissarii Generalis, & immediata subjectione ad Ministrum Generalem totius Ordinis. Supplicem eorum Libellum eidem Reverendissimo a Turri transmitti decrevit Reverendissimus a Laurino, neque suas responsiones parare distulit P. Commissarius Generalis, & ad Urbem mittere; quibus cum pro parte Provinciarum replicatum fuisset, iterum vester Reverendissimus Prædecessor ipsas Replicas communicari, & transmitti jussit Reverendissimo a Turri, qui ampliores responsiones parare, & ad Urbem transmittere non detrectavit.

In hoc rerum statu supervenit dignissima electio P. V. Reverendissimæ, qui ad earumdem Provinciarum Recollectarum instantiam, ultra progredi volens in Causa, mihi præcepit, quatenus scripturas utriusque partis viderem, referrem, & meum Votum exprimerem scripto, cujus mandatis reverenter obtemperans, visis omnibus hinc inde productis, censeo exemptionem Provinciarum Recollectarum Galliæ, & earum immediatam subjectionem jurisdictioni Ministri Generalis totius Ordinis sufficienter probari tam in jure, quàm in facto. Nam inprimis fel. rec. Gregorius XIII. in sua celebri Constitutione = *Cum illius vicem*, edita die 3. Junii 1579. post discussionem Causæ in Sacra Congregatione Regularium, quæ partes interesse habentes audivit, & negotium maturè expendit, inter alia decrevit in hunc modum: *Minister Generalis de Observantia tantum, minime autem Provinciales, sive alii dictorum Fratrum de Observantia Prælati,*

ti, aut Commissarii, in dictos Fratres Reformatos, sive illorum Custodias, jurisdictionem, visitandique & corrigendi facultatem habeat : quam quidem Constitutionem Gregorii, pro Italiæ Reformatis emanatam, extendit ad Recollectos Galliæ sa. me. Clemens VIII. per suas Litteras incip. *Pro injuncti Nobis*, datas die 26. Martii 1601., hujusmodi Apostolica Sanctio ita efficax mihi videtur ad probandum intentum Recollectorum, ut vis illius eludi non possit: quoniam præter particulam taxativam *tantum*, quæ est exclusiva aliorum, excepto Ministro Generali in ea expresso, ultra progreditur ad explicitam, & quidem amplissimam exclusionem quorumcumque Superiorum : *sive alii* (inquit) *dictorum Fratrum de Observantia Prælati, aut Commissarii* = Si enim omnes Prælatos, sive Commissarios arcet ab exercitio jurisdictionis, visitationis, & correctionis, & solummodo hanc potestatem visitandi, corrigendi & jurisdictionem exercendi reservat Ministro Generali, palam fit, quod Commissario Familiæ integrum non est, manus apponere ad gubernium Recollectorum, cum non habeat potestatem, quæ soli Ministro Generali adjudicata fuit ad eos regendos.

Insuper dicta Gregoriana Constitutio non alia de causa mihi videtur derogasse Bullæ Leonis X., quæ dicitur unionis, nisi quia Leonina est origo, & fulcimentum officii, & jurisdictionis Commissariorum Generalium Familiæ, quia bene inspecto tenore totius Gregorianæ Constitutionis, in nullo alio puncto eam deprehendo Leoninæ contrariam, nisi in hac parte, qua Reformatos, seu Recollectos eximit a jurisdictione Commissariorum Familiæ, qui inde juste minime conqueri possunt; quoniam si Leo X. potuit officium invehere in Ordinem, auctoritati, quam ex Regula Seraphica habet super totum Ordinem Minister Generalis, non leviter præjudiciale, ita exigente utilitate communi Religionis, potuit quoque Gregorius restringere jurisdictionem Commissariorum Familiæ respectu Recollectorum, ita exigente eorumdem prospero regimine, & indemnitate, quibus per dictam Constitutionem, ejusdemque extensionem prospicere voluere Gregorius, & Clemens.

Nec omittendum, quod præfatæ Gregoriana & Clementina Constitutiones munitæ reperiuntur clausula sublata, & Decreto irritante, quæ omnibus Papæ inferioribus aliter judicandi; & interpretandi facultatem denegat & quidquid in contrarium a quoquam fuerit attentatum, nullum, irritum atque inane declarat, & tandem urget observantiam earumdem Constitutionum cum formali obedientiæ præce-

pto,

pto, & ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, aliiſque graviſſimis; & conſequenter revolutis hinc inde deductis, concludenter probari deprehendo obſervantiam earumdem Conſtitutionum in omnibus Provinciis oratricibus a tempore Clementis VIII. uſque ad præſens. Id probant atteſtationes tum Archivicæ Generalis Ordinis, tum omnium Provinciarum, ut videre eſt in Summ.num. 11. 12. & 13; idemque confirmat in ſua ultima reſponſione Reverendiſſimus a Turre, ibi = *nec dixi abſolute, Provincias Recollectorum Galliæ ab anno 1670. ab omnibus Commiſſariis Generalibus gubernatas fuiſſe, cum ſciam frequentiſſime, & ut plurimum ad Remos Miniſtros Generales recurrere immediate, & ab ipſis provideri*; Cumque certi ſimus de Lege, & pariter de inconcuſſa ejuſdem Legis obſervantia, non video, qua ratione hodie ejuſdem Legis vim infrigere poſſimus. Præſertim cum in facto minime ſubſiſtere reperiam revocationem Legis, quæ prætenditur ex adverſo fundari in Indultis Clementis VIII. favore P. Franciſci Maculino, & Pauli V. favore P. Evangeliſtæ de Gabiano. Indulta enim hæc vera ſunt, ſed temporanea, & reſtricta ad durationem in officio illorum Patrum, ea inſuper conditione adjecta = *durante te in officio, & durante abſentia Miniſtri Generalis*: In quibus terminis nullo modo iſta Indulta dici poſſunt Leges Pontificiæ revocativæ antecedentium Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſed potius confirmativæ earumdem Conſtitutionum; ſi enim antecedentes non exemiſſent Reformatos a juriſdictione ordinaria Commiſſariorum Generalium, dicti Patres Commiſſarii Generales pro tempore ſui officii & abſentia Miniſtri Generalis minime indiguiſſent Indulto Apoſtolico ad illos gubernandos, cum hoc haberent vi ſuæ ordinariæ juriſdictionis. Utque intentum concluderet Reverendiſſimus a Turri, oſtendere deberet, ſimile Indultum ſibi factum, vel ad minus poſteriorem Legem Pontificiam revocativam Gregorianæ, & Clementinæ.

Minuſque faceſſit negotium declaratio Provinciarum Recollectarum in Capitulo Generali Valliſoletano de anno 1670.; quia quidquid ſit de illa declaratione quoad verba, & de exceptionibus, quæ pro parte Recollectorum adducuntur, duo mihi certa remanent, nempe quod Capitulum Generale non habet poteſtatem ſuper Apoſtolicas Conſtitutiones, & quod Provinciæ ab eo tempore uſque ad præſens nihil in facto innovarunt circa ſuum gubernium, & immediatam ſubjectionem Miniſtris Generalibus.

Auctoritates Patrum de Gubernatis, & Montalvo (quamquam

aliunde eos Viros doctissimos existimem) nihil me movent, cum eorum Sententiam fundatam inveniam super falso supposito, videlicet, quod Gregoriana, & Clementina Constitutiones revocatæ fuerint per Clementem VIII. & Paulum V; quod, ut jam dixi, non subsistit in facto.

Id unum fateor, quod me multum moveret favore Commissariorum Generalium, videlicet, quod Provinciæ Recollectæ per suos Vocales concurrunt ad electionem Commissarii Generalis cum voce tam activa, quam passiva, qui actus, ab immemorabili tempore exercitus in omnibus Capitulis & Congregationibus Generalibus, arguit subjectionem & recognitionem superioritatis & jurisdictionis electi super ipsos Electores; qui ulterius immediate post electionem obedientiam, ut moris est, præstant electo, deosculando manus &c. Sed quoniam Vocales Indorum, & etiam Germano-Belgici pariter concurrunt cum voce activa & passiva ad electionem Commissarii Generalis, eidemque recens electo obedientiam præstant, & nihilominus ab ipsius jurisdictione exempti deinde sunt, cum Indi in eorum immediatum Superiorem recognoscant Commissarium Generalem Indiarum, & Germano-Belgici suum Commissarium Nationalem, absque eo quod Commissarii Generales Ultramontanæ Familiæ reclament; non video quare hoc argumentum efficax esse debeat contra solos Recollectos Galliæ, qui non relinquunt Commissarium Familiæ pro alio inferiori Commissario, sed pro Ministro Generali, omnium Commissariorum longe Superiore.

Quibus attentis, Deumque unice præ oculis habens, sum in Voto, officium Ministri Generalis manuteneri debere in sua immediata jurisdictione super Recollectos Galliarum privative quoad Commissarium Generalem Ultramontanæ Familiæ: Salvo tamen sapientiori judicio P. V. Reverendissimæ, cujus Sacras Manus reverenter exosculans, maneo = Ex hoc suo Conventu S. Paschalis Baylon, & SS. Quadraginta Martirum Urbis, hac die 7. Augusti 1744. P. V. Reverendissimæ = Addictissimus atque deditissimus Subditus Fr. Petrus Joannetius de Molina, Procurator Generalis Discalceatorum & Recollectorum.

Num. 3. *Conceduntur sex menses Reverendissimo Torre, ut deducat jura sua.*

Proposito dubio = An Recollectorum Galliarum Provinciæ subsint jurisdictioni Reverendissimi Commissarii Generalis Ultramontanæ Familiæ; num potius immediate jurisdictioni Reverendissimi Patris Generalis: Discretorii Generalis Patres censuerunt præfigendos esse terminos Reverendissimo

mo Patri Commissario Generali Ultramontanæ Familiæ, ad deducenda legitimè sua jura; proindeque præfigendum esse terminum sex mensium; & interim demandetur, nihil esse innovandum juxta mentem Reverendissimi Patris Ministri Generalis. Dat. in hoc Conventu Aracœlitano die prima Octobris 1744. &c.

Ita est, Fr. Vincentius Antonius de Caprarola, Diffinitor Generalis.

Fr. Petrus Joannetius de Molina, Proc. Generalis Discalc. & Recoll.

Fr. Alexius de Roma, Procurator Generalis Reform.

Fr. Joannes Franciscus Iduri, Commissarius Generalis Curiæ.

Fr. Benedictus Maria de Florentia, Proc. Generalis Ordinis.

Fr. Felix à Roma, Discretus perpetuus Cismontanæ Familiæ.

Fr. Raphael à Lugagnano, Minister Generalis.

Mens autem nostra est, ut durante Lite, & usque ad Sententiam diffinitivam, Reverendissimus Pater Commissarius Familiæ Ultramontanæ à jurisdictione super Provincias Recollectas Galliæ se abstineat. Fr. Raphael à Lugagnano, Minister Generalis.

Loco ✠ Sigilli. Fr. Joseph Maria de Fano, Diff. Generalis, & Secr. Generalis Ordinis.

Num. 4. *Secundum Votum R. A. Patris de Caprarola, iterum favore Recollectorum.*

Reverendissime Pater = Obtemperans mandatis P. V. Reverendissimæ iterum calamum assumo ad ostendendum, documenta adducta a Reverendissimo Patre Ludovico Torre ad magis roborandam prætensam Commissariorum Generalium Familiæ Ultramontanæ jurisdictionem super Provincias Galliæ Recollectas, nullius prorsùs esse momenti; imo parti adversæ omninò favorabilia; exploratum enim est decem esse in Gallia Recollectas Provincias, & ab anno 1670. ad præsens usque octo numerari Commissarios Generales Familiæ in Chronologia P. Julii de Venetiis pag. mihi 346.; ex his tres dumtaxat Commissarios Generales, scilicet Samaniego, Hiacyntum Fernandes, & Joannem Soto, super aliquas ex dictis Provinciis exercuisse jurisdictionem ex allegatis documentis manifestissime patet; quod mihi argumento est, Reverendissimis PP. Commissariis Generalibus Familiæ nullam penitùs competere jurisdictionem super præfatas Provincias; & hoc mihi fortiùs persuadet, quod actus jurisdictionales, à dd. PP. Reverendissimis exerciti super Provincias Recollectas Galliæ, fuerunt a Ministris Generalibus contradicti, ut apertissimè constat ex authentico documento Par-

tis

tis adversæ. In eo siquidem reperio Reverendissimum Patrem Samaniego patentes Litteras dedisse sub die 23. Junii an. 1670. cuidam Patri Seraphino, ut procederet contra P. Provincialem S. Dionysii, eo quod protestatus fuerat de nullitate omnium actorum in Capitulo Generali Vallisoletano. At nullum habuerunt effectum ex Decreto Regis sub die 18. Julii, quo sua Regia Majestas præcipit Vicario Provinciali ejusdem Provinciæ, ut judicium Romæ sollicitaret super appellationes interpositas contra Capitulum Generale, & interim nihil innovaretur.

Tres alias patentes Litteras ab eodem Reverendissimo Samaniego pro visitandis Provinciis S. Bernardini, Flandriæ, & Britanniæ, nullimode fuisse executione mandatas, ex eodem supracitato documento similiter constat. Etenim Provinciæ Recollectæ reclamarunt, Flandria excepta, quæ ad Recollectos non spectat, sed ad Germano-Belgicos. Et sanè P. Juvenalem Doulcet delegatum fuisse a Reverendissimo Rhini per litteras datas è Magno Conventu Parisiensi die 22. Aprilis anni 1671.; igitur nullum habuerunt effectum Patentes litteræ a Reverendissimo Samaniego expeditæ die 23. Januarii ejusdem anni. Item in Regesto Provinciæ S. Andrææ reperitur, P. Candidum Campii anno 1695. deputatum fuisse Visitatorem a Reverendissimo Bonaventura Pöerio: ex quo etiam evincitur Patentes datas a Commissario Familiæ 4. Junii 1694. illegitimas habitas fuisse.

Quod verò pertinet ad fratres Recollectos Provinciæ Sanctissimi Sacramenti; quibus Reverendissimus Soto anno 1724. licentiam impertivit transeundi ad Observantes, de mandato Reverindissimi Patris Laurentii a S. Laurentio ad propriam Provinciam remearunt. Denique licentia concessa a Reverendissimo Patre Ludovico Torre Provinciæ Sancti Bernardini anticipandi Congregationem intermediam ad instantiam quatuor PP. Diffinitorii ann. 1742., fuit revocata a Reverendissimo Cajetano a Laurino, ad quem pariter pro eodem effectu & eodem tempore recursum habuerunt, ut constat ex originalibus litteris ejusdem Patris Reverendissimi; & tres ex illis Patribus Diffinitorii, qui dictam licentiam postularunt a moderno Reverendissimo P. Commissario Familiæ, fuerunt de mandato Regis in exilium missi. Ex quibus constat omnes actus jurisdictionales, exercitos a PP. Commissariis Familiæ, nullius esse roboris & momenti. Imò dato etiam, quòd suum habuissent effectum, non proinde sequitur PP. Commissarios Generales jurisdictionem habere super Provincias Recollectas; sed probari

debet,

debet, quod id scierint Ministri Generales, & patientiam habuerint, ut optimè advertit Pitonus Discept. 160. n. 300. de Episcopo & Abbate, ubi habet: *Actus jurisdictionales, exerciti ab Abbate, non constito de scientia, & patientia Episcopi habentis assistentiam juris, sunt clandestini & turbativi, & nihil ponunt in esse*. Cum ergo Ministri Generales habeant assistentiam juris, uti in alio meo Voto ostendi, ex Constitutionibus Apostolicis, sequitur quod omnes Actus jurisdictionales, exerciti a PP. Commissariis Generalibus Familiæ, sint clandestini, turbativi, & læsivi jurisdictionis Ministri Generalis; adeoque &c. Ita sentio, salvo semper meliori judicio; & manus P. V. Reverendissimæ reverenter deosculor. Romæ ex Aracœli die 13. Julii 1745. Ego Fr. Vincentius de Caprarola Deffinitor Generalis.

Num. 5. *Secundum Votum R. A. Patris de Molina, favore eorumdem.*

Reverendissime Pater = Examinatis juribus de novo transmissis a Reverendissimo Patre Joanne a Turre, Generali Commissario Ultramontanæ Familiæ, in favorem prætensæ suæ jurisdictionis immediatæ supra Provincias Recollectorum Galliæ, neutiquam deprehendo quidquam ita relevans, quod me cogat mutare sententiam & votum, quod subscripsi die 7. Augusti anni præteriti 1744.

Equidem meum Votum innitebatur Litteralibus Constitutionibus Apostolicis Gregorii XIII. *Cum illius vicem* & Clementis VIII. *Pro injuncti nobis*, corroboratis tùm Regiis executorialibus Christianissimorum Regum, tùm observantia earumdem a fundatione dictarum Provinciarum Recollectarum usque in præsens; & in consequentiam, ut sensum mutarem, necessarium erat, quod Reverendissimus P. Commissarius Generalis probaret, præfatas Constitutiones Apostolicas vel non emanasse, vel contrariis Sanctæ Sedis Sanctionibus fuisse revocatas, vel saltem abrogatas contraria longissimi temporis observantia, qualificata illis omnibus circumstantiis, quæ sufficerent ad inducendam legitimam consuetudinem in contrarium.

Ast in allatis juribus nihil horum deprehendo, quoniam neque laudatarum Constitutionum Gregorianæ & Clementinæ impugnatur existentia, aut revocatio probatur; sed neque infringitur, vel infirmatur observantia.

Quamvis enim indicentur aliqui actus jurisdictionales Commissariorum Generalium super dictas Provincias, & eorum Religiosos; ii tamen actus pluribus capitibus redduntur inefficaces ad concludendam observantiam contrariam.

Primo quidem ex eo, quod docere oporteret de pacifica execu-

tione,

tione, & complemento id: quod minime probatur, Non enim consistunt adducti actus in personali visitatione peracta per Commissarios Generales, aut præsidentia Capitulorum, seu Provincialium Congregationum, & similibus; qui actus ipso facto, ùt peraguntur, important exercitium completum jurisdictionis; sed præcisè consistunt in expeditione Patentalium Matriti, quæ executionem minimè consecutæ sunt in Gallia, sed potius contra easdem alte conclamarunt Provinciæ Recollectæ, uti probatur tum in Summario pro parte earumdem typis dato, tùm in juribus, quæ de novo adducuntur; & hoc, sive agatur de Patentalibus, quæ concernebant gubernium Provinciarum, utì sunt illarum Visitationes: sive agatur de Indultis circa particulares Religiosos, uti erant licentiæ concessæ tribus de Provincia Sanctissimi Sacramenti, ut se transferrent ad Provinciam Aquitaniæ recentioris, qui, reclamante prima Provincia, ad eamdem redire sunt coacti.

Num. 7. Secundum Votum R. A. Patris de Molina, [illegible]

Secundo: Quia paucissimi sunt comparativè ad actus jurisdictionales, continuò immediatè exercitos per Ministros Generales super omnes dictas Recollectorum Provincias, & earum Fratres, eosque pacificè; & consequenter pauci illi & incompleti minimè attendi merentur ad probandam contrariam observantiam, ut expresse tradit Rota in una Firmana Jurisdictionis, coram Molines §. *Nec prædictæ*.

Tertio: Quia illi pauci actus nunquam fuerunt pacifici, sed perpetuo contra ipsos reclamarunt, & hodie etiam reclamant præfatæ Recollectorum Provinciæ.

Quarto: Quia ex documentis noviter adductis resultat binos Ministros Generales favore Provinciarum Recollectarum decrevisse in casibus querelarum, videlicet, Reverendissimus a S. Laurentio, postea S. R. E. Cardinalis, qui *nihil innovari præcepit*: & Reverendissimus a Laurino, qui monitus de dispensatione relaxata per Reverendissimum a Turre, ut Congregatio Provinciæ Sancti Bernardini anticiparetur per aliquot menses, respondit: *illud factum esse contra jus suum*, Ministri nempè generalis.

Assumptum amplius corroboratur reflectendo, quod ab anno 1670. usque ad præsentem, octo numerantur Commissarii Generales Ultramontanæ Familiæ, excluso moderno, cum quo lis est; ex quibus quinque nullum penitus jurisdictionis actum exercuerunt super præfatas Provincias; & solum tres reliqui paucos illos, tot exceptionibus obnoxios, quos insinuavi, exercuerunt. Unde amplius confirmatur observantia Constitutionum Gregorianæ, & Clementinæ pro immediata juris-

rif-

risdictione Ministrorum Generalium. Nam usus hujusmodi suæ jurisdictionis fuit perpetuus, continuus, & pacificus, sive Ministri Generales fuerint Hispani, sive Itali, Cismontani, vel Ultramontani. Provinciæ enim, officium Ministeriatus Generalis ad præscriptum laudatarum Constitutionum attendentes, & a personis earumque nationalitate abstrahentes, religiose paruerunt Ministro Generali, etiam dum erat assumptus ex natione sibi non leviter invisa, ut præterito sæculo sæpius accidit.

Certe cum illæ Provinciæ singulis trienniis egeant auctoritate Superioris Generalis ad celebrationem Capituli Provincialis; & item ad celebrationem Congregationis intermediæ; cum provisiones ad id necessariæ ob officio Commissariorum Generalium minimè emanassent, ab officio Ministri Generalis emanasse convincuntur. Et quidem tempore quinque illorum Commissariorum, quos nullum jurisdictionis actum tentasse memoravi, indubium esse debet. Tempore verò aliorum trium, qui aliquos actus exercere tentarunt, cum sufficienter constet, eos minime complere potuisse, idem judicium efformandum est; idque ipsum efficaciùs comprobatur praxi quotidiana, & Regestis Curiæ Ministrorum Generalium. Quibus attentis, jussis P.V. Reverendissimæ reverenter obtemperans, persto in Voto a me subscripto sub die 7. Augusti 1744.: videlicet, officium Ministri Generalis debere manuteneri in sua immediata jurisdictione super Recollectos Galliarum Provinciarum privative quoad Commissarium Generalem Ultramontanæ Familiæ; salvo tamen sapientiori judicio P. V. Reverendissimæ, cujus sacras manus reverenter exosculans, remaneo = Ex hoc Conventu S. Paschalis Baylon & SS. 40. Martyrum Urbis, hac die 14. Julii 1745. = P. V. Reverendissimæ humillimus atque devinctissimus Servus & subditus = Fr. Petrus Joannetius de Molina Procurator Generalis Discalc. & Recollectorum.

Num. 6.
Votum R. A. Patris Benedicti Mariæ de Florentia, Procuratoris Generalis Ordinis, favore eorumdem.

Reverendissime Pater = Ut mandatis P. V. Reverendissimæ obsequar, libenti animo perlegi omnia mihi tradita documenta super prætensam jurisdictionem Reverendissimi Patris Commissarii Generalis Ultramontanæ Familiæ in Galliarum Recollectos, eorumque respective Provincias; & visis videndis, consideratisque considerandis, videtur nullimode posse subsistere nec *in jure*, nec *in facto*.

Non *in jure*. Siquidem adsunt Constitutiones, confirmationes diversorum Summorum Pontificum, quæ soli, privative quoad omnes alios, Ministro Generali talem tribuunt jurisdi-

ctin-

ctionem: & quod etiam est magni ponderis, Diplomate Regio communita fuerunt; cum hoc induat rationem legis, & quodammodo juris publici. Hîc illas adducere omnino superfluum est, ne semel dicta iterùm repetantur, cum per extensum reperiantur & in scriptura efformata, & in votis aliorum Patrum Ordinis, simul cum responsionibus efficacibus ad instantias, si quæ sint, pro Reverendissimo P. Commissario Generali.

Non *in facto*. Etenim omnia ea, quæ adducuntur ab eodem Reverendissimo Commissario Generali pro sustinenda tali jurisdictione, vel non sunt approbata, vel fuerunt contradicta; quinimmo & spreta taliter, ut quod nunquam ullum habuerunt effectum, sicutì manifeste ostenditur & concluditur ex eadem scriptura & eisdem votis, in quibus talia facta nominantur & refelluntur. Quapropter absque ullo respectu humano, & cum solo respectu ad Deum, judico, quod solus Minister Generalis, privative quoad Commissarium Generalem, debet exercere jurisdictionem in Gallicarum Recollectos, & eorum respective Provincias: salvo semper prudentiori judicio P. V. Reverendissimæ, cui me meumque votum submitto, ex Aracœli 21. Julii 1745. Fr. Benedictus Maria de Florentia, Procurator Generalis Ordinis.

Num. 7.

R. A. Pater de Iduri Commissarius Generalis Curiæ protestatur de nullitate, casu quo Reverendissimus Pater Generalis pronunciet.

Reverendissime Pater. Fr. Joannes Franciscus de Iduri, Commissarius Generalis Curiæ, humilis subditus, & orator V. Reverendissimæ Paternitatis, omni obsequio exponit, qualiter ad suas pervenit aures, quod P. V. Reverendissima velit decidere Causam jurisdictionis excitatam a R. admodum P. Gravois, Diffinitore generali, nomine Provinciarum Patrum Recollectorum Galliæ, contra R. P. Joannem dela Torre Commissarium Generalem Familiæ Ultramontanæ. Quare Orator pro ipso Reverendissimo Patre Commissario Generali, ea, qua par est, submissione supplicat, ut P. V. Reverendissima dignetur considerare, quod sicut jurisdictio Ministri Generalis provenit & emanat a Capitulo Generali, ut constat præcipue ex *Lantusc: Theatr. Regularium verb. Generalis n. 2. & ex Gubernatis tom. 1. Orbis Seraph. pag. 336. Ameno Prax. Crimin. p. 162.*, ita dimanat ab ipso Capitulo Generali jurisdictio Commissarii Generalis Familiæ Ultramontanæ tali modo, ut electo Commissario Generali debet Minister Generalis ipsi conferre omnem auctoritatem, seu jurisdictionem concessam & signatam, vel a Capitulo Generali taxatam, sicut indicat Santoro Constit. pag. 623. & Kerckore comment. in General. Stat. pag. 524.

Cum ergo à R. adm. P. Gravois, Diffinitori Generali, suscitatum sit dubium, *An visis & intellectis aliquibus cõstitutionibus Apostolicis interpretatis in favorem Recollectorum & aliquibus actis contrariis dictis Constitutionibus, jurisdictio in Provinciis Recollectorum pertineat Ministro Generali in Italia existente, an vero Commissario Generali Familiæ Ultramontanæ?* hoc est dubium, quod meo videri resolvi non debet a V. P. Reverendissima. Primo, quia cum materia principalis in isto dubio sit jurisdictio & auctoritas propria P. V. R., non videtur congruum, nec conveniens, quod P. V. Reverendissima sit judex, juxta notissima legum principia.

Secundò, quia cum ista decisio debeat transire in tempora futura, compelleret Successores ad idem, contra illud axioma legale: *Par in parem non habet imperium.* Unde comprehendet P. V. Reverendissima necessitatem remittendi decisionem prædicti dubii ad proximum promulgatum jam Capitulum Generale, ad quod pertinet accrescere, vel minuere jurisdictionem omnium Ordinis Superiorum respectivè. Unde Orator, etsi judicet, & pro comperto habeat, experientia teste, quo V. Reverendissima Paternitas justè, prudenter, & solita rectitudine in casu judicabit, constringitur talibus legalibus rationibus ad protestandum, utì protestat de nullitate, semper ac P. V. Reverendissima Sententiam ferat; supplicando, quod P. V. Reverendissima ignoscat, si Orator ratione officii constringitur ad hunc actum valde necessarium ad honorem Familiæ Ultramontanæ, & indemnitatem auctoritatis Superiorum Generalium Familiæ Ultramontanæ.

Num. 8.

Rmus Pater Minister Generalis remittit decisionem Causæ benignitati Sanctitatis suæ.

Fr. Raphael à Lugagnano, Lector Emeritus, Catholicæ Majestatis in Regali Congressu Matritensi pro Immaculata Conceptione Theologus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Francisci Minister Generalis, Commissarius Visitator Apostolicus, & Servus.

Cum Pater Fr. Joannes dela Torre, Commissarius Generalis Familiæ Ultramontanæ, quosdam actus jurisdictioales exercuisset super Recollectos Galliæ, illicò reclamarunt iidem coram bo. me. Patre Fratre Cajetano à Laurino, Prædecessore nostro, prætendentes, se vigore variarum Constitutionum Apostolicarum, Statutorum suorum Municipalium, & Consuetudinis immemorabilis, dictis Familiæ Commissariis nullimode subjacere, sed solummodo Ministris Generalibus Ordinis pro tempore existentibus; ac institerunt, ut eidem Patri Joanni Dela Torre, ac aliis Familiæ Ultra-

tra-

tramontanæ Commiſſariis Generalibus pro tempore exiſtentibus prohiberet, ne ſimiles actus impoſterum exercere auderent; admiſſo, ac recepto recurſu, ipſum Patri Joanni Dela Torre tranſmiſit idem Prædeceſſor noſter, mandans, ut ſuper eo ſua deduceret jura, prout fecit ſub die 17. Novembris anni 1743.; cumque exinde Patres Recollecti eidem Patri Cajetano à Laurino ſcripturam cum Summario typis impreſſam exhibuiſſent, in qua ipſorum confirmabatur totalis à Commiſſariis Generalibus Familiæ independentia, hæc quoque Patri Commiſſario Dela Torre fuit remiſſa, qui reſpondens ſub die 17. Februarii anni 1744. varia deduxit ad propugnandam prætenſam ſuam juriſdictionem; eiſque deductis, judicio ejuſdem noſtri Prædeceſſoris ſe libentiſſimè ſubmiſit, ut legitur in ipſius Patris Commiſſarii Epiſtola, ibi = Hæc ſunt, Reverendiſſime Pater, quæ mihi pro nunc occurrerunt zelo, prudentiæ, ac æquitati V. P. Reverendiſſimæ proponenda ad ſatisfaciendum objectis à R. Patre Gravois. *Veſtræ æquitatis erit judicium ferre, meum in omnibus obedire* = E vivis ſublato memorato noſtro Prædeceſſore, iterum apud nos inſtiterunt Patres Recollecti pro ultima Litis deciſione; unde die prima Octobris anni mox elapſi omnes Diſcretorii Generalis Patres, in Urbe exiſtentes, congregavimus; & conſilio ſuper præfata Cauſa cum ipſis habito, Decretum edidimus, quo Patri Commiſſario Dela Torre præcepimus, ut infra terminum ſex menſium ſua jura legitimè ulterius deduceret, prohibentes eidem, ne ullum juriſdictionis actum ſuper Recollectos Galliæ exerceret uſque ad finalem cauſæ Deciſionem; quod quidem proviſionale Decretum admiſit idem Pater; eique, ut par erat, obtemperavit. Cumque ſua jura, pro tertia vice, nobis præſentari curaſſet, ac pro Deciſione Litis inſtantiam iterum renovaſſent Galliæ Recollecti, votum in ſcriptis exquiſivimus quatuor Ordinis noſtri Patrum: quorum tres abſolutè cenſuerunt, dictos Recollectos in omnibus, & per omnia immediatè ſubeſſe Miniſtro Generali Ordinis; nullamque ſuper eos Commiſſariis Generalibus Familiæ competere juriſdictionem; Quartus verò in voto fuit, nos non poſſe cauſam decidere, eo inter alia ductus motivo, quod ageretur de noſtra juriſdictione, quodque nemo poteſt in propria cauſa eſſe Judex, neque judicare, an ſua ſit juriſdictio. Omnibus autem attentè & maturè per noſmetipſos diſcuſſis & examinatis, cognito ad evidentiam, jus omne pro Recollectis Galliæ ſtare; perpenſo inſuper, quod diſcordias & lites inter Religioſos noſtræ curæ commiſſos, non ſine Re-

ligio-

ligiosæ pacis, & paupertatis Franciscanæ præjudicio exortas, extinguere ac terminare, nostri esset muneris & officii; quodque de nostra jurisdictione dubitandum nobis non esset, præsertim cum à duobus annis à partibus Collitigantibus semper recognita fuisset, & pro legitima admissa; determinavimus Sententiam pronuntiare; & negotium, spatio duorum & ultra annorum ad nauseam usque discussum & examinatum, terminare. Sed ex improviso coram nobis stetit Pater Joannes Franciscus de Iduri, in hac Romana Curia Commissarius Generalis, protestans de nullitate judicii, casu quo ad dictam Sententiam deveniremus. Quare consilium & votum pro veritate in scriptis exquisivimus ab Illustrissimo Domino Hieronymo Tozzio, Sacri Concistorii Advocato; cujus mens & resolutio fuit, nos in hac causa judicare posse, & protestationem, a Patre de Iduri, ut supra, factam, nimis serotinam esse, ac in nihilo prorsus attendendam; tum quia Pater Commissarius Torre spatio duorum annorum factis & scriptis in jurisdictionem nostram & nostri Prædecessoris consensit, præsertim in Epistola supra relata; tum etiam quia Pater de Iduri protestans eamdem jurisdictionem ùt legitimam pluries agnovit, sive dum jura à Patre Torre sibi transmissa nobis præsentavit, sive dum Decretum provisionale die 1. Octobris emanatum ipsemet, ùt Commissarius in Curia Romana, subscripsit. Quia tamen idem Dominus Advocatus Tozzius ulterius fuit in voto, nos non teneri ad Causam definiendam, sed posse, imo debere ex lege decentiæ & honestatis, nostra jurisdictione non uti, & causam ad aliud Tribunal remittere; ideo Causam hanc definiendam remittimus ad ipsam Sanctitatem Suam, de cujus erga Ordinem nostrum benignitate speramus, quod ipsam auctoritate sua Apostolica terminare non dedignabitur. Datum in hoc Conventu Sanctæ Mariæ de Aracœli die 23. Augusti 1745.

Fr. Raphael à Lugagnano, Minister Generalis.

Num. 9. *Recollecti supplicant Sanctitatem Suam, ut dignetur Causam decidere.*

Beatissime Pater = Pro parte decem Provinciarum Recollectorum Ordinis S. Francisci in Gallia existentium, Sanctitati Vestræ humillimè repræsentatur, qualiter inter alia, pro felici ac prospero ipsorum gubernio à Clemente VIII. in sua Constitutione = *Pro injuncti nobis* = sub die 26. Martii 1601. disposita, unum fuit, quod iidem à solo Ministro Generali Ordinis, nullo autem modo ab aliis Superioribus sive Commissariis de Observantia gubernarentur, & hoc cum Decreto & Clausula irritante, cum expressa derogatione Bulla

Leonis X. *Unionis* nuncupatæ, sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto incurrendæ ab omnibus, qui aliqua in contrarium attentarent, & sublata facultate tàm generalibus Ordinis Capitulis, quàm quibuscumque aliis Tribunalibus, aliquid in contrarium peragendi; & licèt Commissarii Generales Ultramontanæ Familiæ, vi præfatæ Bullæ *Unionis* electi, suam aliquando jurisdictionem super præfatos Recollectos extendere tentaverint, nunquam tamen illud consequi potuerunt; imò, cum in Capitulo Generali, anno 1670. Vallisoleti celebrato, Vocales Recollecti inducti fuissent ad declarandum in scriptis, se in legitimos Superiores admittere dictos Generales Commissarios pro tempore existentes, audita in Provinciis tali declaratione, unanimiter ab omnibus, ut nulliter & attentatè extorta & facta, fuit rejecta: & quædam Patentes Litteræ, vigore illius, à Commissario Familiæ tunc electo expeditæ, absque ulla nec executione, nec publicatione in Gallia remanserunt; & ab eo tempore usque ad præsens dictæ Recollectorum Provinciæ à solis Ministris Generalibus inconcussè & inalterabiliter fuerunt gubernatæ. Cum autem, his non obstantibus, Pater Joannes de la Torre, modernus Familiæ Ultramontanæ Commissarius, varios jurisdictionis actus super dictos Recollectos, non sine magna eorumdem perturbatione & inquietudine, exercere tentasset, Superiores dictarum decem Provinciarum unanimiter apud Ministrum Generalem Ordinis recursum habuerunt ad hoc, ut prohiberet eidem Patri de la Torre, aliisque Familiæ Ultramontanæ Commissariis Generalibus pro tempore existentibus, ne eosdem Galliæ Recollectos, eorumque Provincias perturbare audeant, ullumque jurisdictionis actum super illos exercere, sub pœnis in memorata Clementis VIII. Constitutione contentis; Causâque coram eodem Patre Generali spatio duorum annorum agitatâ, & pluries discussis Partium rationibus, ac habito in scriptis Voto Patris Procuratoris Generalis totius Ordinis; Patris de Molina Provinciæ Discalceatorum Valentiæ in Hispania primi Patris, & eorumdem Procuratoris Generalis; ac Patris Vincentii Antonii de Caprarola Observantis Provinciæ Romanæ Ex-Provincialis, & totius Ordinis Diffinitoris Generalis, qui omnes unanimiter declararunt, ut fuerunt in Voto, constare de bono jure Recollectorum; sperabant iidem Recollecti Sententiam tandem decisivam obtinere. Sed Pater Generalis, quibusdam prepeditus scrupulis, sequens tantum protulit Decretum, videlicet = *Fr. Raphael à Lugagnana .... Cum Pater Frater*

ter

ter Joannes de la Torre &c.... ut in numero antecedenti.

Attentis igitur omnibus ſupra expoſitis, ac præſertim, quod Pater Generalis in præſenti Decreto teſtatur, ſe ad evidentiam agnoviſſe, jus ſtare pro Oratoribus, ſeque; poſt examen Cauſæ ad nauſeam uſque factum, paratum & promptum fuiſſe ad pronuntiandum favore Oratorum; ſed poſtea ob metum ſcrupulum à ferenda Sententia abſtinuiſſe; attento Voto trium ex principalioribus Ordinis Patribus, idem unanimiter ſentientium, quorum duo ſunt Obſervantes Italiæ, & alius Hiſpaniarum Diſcalceatus; attento tandem, quod jus Oratorum fundatur ſuper citatam Bullam Clementis VIII. à variis Pontificibus confirmatam, ſuper omnia Recollectorum Galliæ Statuta municipalia, & ſuper praxim ab immemorabili tempore nunquam interruptam, prout notoriè agnoverunt tùm Pater Generalis, tum memorati Ordinis Patres; Sanctitatem Veſtram humillimè ſupplicant Oratores, ut per Litteras in forma Brevis declarare dignetur, dictas Recollectorum Provincias, in Gallia exiſtentes, ſoli Miniſtro Generali Ordinis eſſe ſubjectas, & nullimodè Commiſſariis Generalibus Familiæ Ultramontanæ; ac proindè ſub pœnis in memorata Clementis VIII. Conſtitutione contentis, Patri Joanni de la Torre, ac aliis pro tempore exiſtentibus Familię Commiſſariis, prohibere, ne ullo modo præfatas Provincias, earumque Religioſos perturbare & inquietare audeant, ac vel ullum minimum juriſdictionis actum ſuper eas vel eos exercere; & ſimiliter Recollectis inhibere, ne ad dictos Commiſſarios recurſum habeant, aut ipſorum mandatis obediant. Et Deus &c.

Num. 10. *Reſcriptum Sanctiſſimi.*

Al Padre Generale, che col Deffinitorio termini la preſente controverſia. 11. Settembre 1745. = BENEDETTO PP. XIV.

Num. 11. *Epiſtolium Eminentiſſimi Domini D. Secretarii Status.*

Dalla Segretaria di Stato 11. Settembre 1745. = Vedrà il Padre Generale dall' Oracolo di Noſtro Signore, ſcritto di ſua propria mano in dorſo della ſupplica preſentata dai Padri Recolletti della Francia, quale ſia l' intenzione della Santità Sua per dar fine alla conſaputa Controverſia; tanto appunto deſidera, che ſia eſeguito.

Num. 12. *Sententia favore Recollectorum emanata.*

In Nomine Domini Amen = Cum Sanctiſſimus per ſuum Reſcriptum, propria manu exaratum die 11. currentis Septembris, nobis infraſcriptis præcipere dignatus ſit, ut controverſiam juriſdictionalem inter Rmum P. Torre Commiſſarium

Generalem Ultramontanæ Familiæ, & Provincias Recollectorum Galliæ vertentem, terminemus; in unum congregati, visis omnibus videndis, ac pluries examinatis rationibus hinc indè deductis, Deum solum præ oculis habentes, *unanimiter, ac concorditer omnes, & singuli declaravimus; decrevimus ac pronuntiavimus*, Provincias Recollectorum Galliæ, solius Ministri Generalis totius Ordinis pro tempore existentis, nullimodè autem Commissariorum Generalium Ultramontanæ Familiæ jurisdictioni, subesse & subjacere; ac proinde sub pœnis contentis in Constitutionibus Gregorii XIII. & Clementis VIII. super his emanatis, tàm Reverendissimo Patri de la Torre, quàm aliis Ultramontanæ Familiæ Commissariis Generalibus pro tempore extituris, inhibemus, ne super easdem Provincias, ipsarumque Religiosos ullum jurisdictionis actum exercere audeant; prohibentes pariter iisdem Recollectis sub memoratis pœnis, ne ad præfatos Commissarios recursum habeant, vel ipsorum mandatis obediant. Datum Romæ in Conventu de Aracœli die 20. Septembris 1745.

Fr. Raphael à Lugagnano Minister Generalis.
Fr. Benedictus Maria de Florentia Procurator Generalis Ord.
Fr. Joannes Franciscus Iduri Commissarius Generalis Curiæ.
Fr. Alexius à Roma Procurator Generalis Reformatorum.
Fr. Petrus Joannetius de Molina Procurator Generalis Discalceatorum & Recollectorum.
Fr. Vincentius Antonius de Caprarola Deffinitor Generalis.
Fr. Joseph Maria de Fano Diffinitor Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

Num. 13. *Decretum Provinciæ Recollectorum S. Dionysii in Gallia*. Ex Summario olim præsentato Reverendissimo à Laurino.

In Nomine Domini Amen = Extractum ex Actibus Capituli Provincialis FF. Minorum Recollectorum Provinciæ S. Dionysii in Gallia, celebrati in Regio Versalliensi Conventu die 1. Decembris 1743.

Diffinitorium & Discretorium Provinciæ, omnibus unanimiter consentientibus, declarat, ac de novo decernit, velle manuteneri in possessione immemorabili, quâ gaudent omnes nostræ Recollectorum Galliæ Provinciæ, conformiter ad Bullam Clementis VIII., ad Decreta Suæ Majestatis, ad Statuta edita & approbata pro universa Natione, & præsertim ad Municipalia nostræ Provinciæ, in Parlamento placetata anno 1715., dependendi videlicet immediatè a solo Reverendissimo Patre totius Ordinis S. Francisci Ministro Generali, ac nullo modo recognoscendi auctoritatem Reverendissimi Patris Commissarii Familiæ. Et approbamus

mus, quidquid usque nunc fecit, & in futurum faciet R. A. P. Marcus Antonius Gravois Sacræ Theologiæ Lector, Ex-Custos, Ex-Procurator Generalis, & actualis Diffinitor Generalis Ordinis, quem rogamus, ut in hoc negotio Procuratoris nostri munus exerceat. Sic terminata est præsens Sessio: in quorum fidem omnes subscripsimus.

Fr. Cherubinus Dumas Commissarius Visitator.
Fr. Blasius Desbornes Minister Provincialis.
Fr. Edmus Villemsens Ex-Vicarius Provincialis.
Fr. Candidus Chalippe Provinciæ Pater, & Custos.
Fr. Joannes Franciscus Alixand Diffinitor.
Fr. Gerius le Marie Diffinitor.
Fr. Polycarpus Motte Diffinitor.
Fr. Benedictus Ferraris Diffinitor.

Elenchus Patrũ omnium Provinciarum, qui tunc temporis scripserant contra prætensionem Rmi Terre, & quorum litteræ præsentatæ fuerunt Rmo à Laurino. Ex eodem Summario.

Ex Provincia Britanniæ = R. P. Stephanus le Goff Provincialis, & R. P. Mauritius Godefroy pro tertia vice Ex-Provincialis.

Ex Provincia S. Andrææ in Belgio = R. P. Bruno de Vocula Provincialis = R. A. P. Gildardus Duflos Ex-Procurator Generalis, & R. Pater Lactantius Gorlier pro tertia vice Ex-Provincialis.

Ex Provincia S. Bernardini = R. P. Gelasius Mouttet, qui fuit ter Provincialis = R. P. Marcus Antonius Aubert Ex-Provincialis, & Patres Renatus Bilhion, & Cherubinus Dumas, ambo Diffinitores, & ex-Custodes.

Ex Provincia Immac. Conceptionis = R. P. Honoratus Chastillon Provincialis.

Ex Provincia S. M. Magdalenæ = R. P. Dominicus Lecurevil Provincialis. R. P. Eliseus Riollan, qui fuit ter Provincialis, & est Custos actualis; & R. P. Benignus Hubert Ex-Provincialis.

Ex Provincia Lugdunensi, seu S. Francisci = R. P. Justinus Chambon Provincialis, & R. P. Alexander de la Forge pro secunda vice Ex-Provincialis.

Ex Provincia SS. Sacramenti = R. P. Anselmus Vezy Provincialis, & R. P. Martinus Beynier Ex-Provincialis.

Ex Provincia S. Antonii in Arthesia = R. P. Antonius Hemart Provincialis, & R. P. Aubertus Hazard Ex-Provincialis.

Ex Provincia S. Nicolai in Lotharingia = R. P. Placidus Troтyanne Provincialis.

Num. 14. *Alia Decreta à Provinciis transmissa post intro-*

Nos Discreti Provinciales Fratrum Minorum Recollectorum Provinciæ S. Nicolai in Lotharingia, omnes unanimiter consentientes declaramus, & constanter statuimus, velle nos

ductionem causæ. nos indesinenter frui possessione immemorabili, qua gaudent omnes Recollectorum Provinciæ, in Gallia stabilitæ, conformiter ad Bullam Clementis VIII., ad Decreta Suæ Majestatis, ad Statuta edita & approbata pro universa illius Regni Natione, ac præsertim ad municipalia nostræ Provinciæ in Parlamento Nanceio in Lotharingia placetata anno 1737., dependendi scilicet immediatè à solo Reverendissimo Patre totius Ordinis Ministro Generali, neque ullo modo agnoscendi auctoritatem Reverendissimi Commissarii Familiæ. Quapropter Ministri Generalis, Patris ac Pastoris nostri amantissimi, bonitatem benevolentiamque humillime deprecamur, ut nos tamquam suas oves proprias, more Prædecessorum suorum, per se regere & pascere in perpetuum dignetur. In quorum fidem omnes subsignavimus die 18. Decembris anni 1744. apposito nostro Sigillo majori = Loco ✠ Sigilli.

Provincia S. Nicolai.

Fr. Placidus Trotyanne Sacræ Theologiæ Lector, Minister Provincialis.

Fr. Berardus Heurion bis Provincialis, & primus Provinciæ Pater.

Fr. Anselinus Eurard antiquus Lector, ex-Provincialis.

Fr. Henricus Toussaint Sacræ Theologiæ Lector, Custos.

Fr. Benedictus Noirel Diffinitor.

Fr. Bernardinus Barbasson Diffinitor.

Fr. Carolus Rouget Diffinitor, & Diffinitorii Secretarius.

Provincia Immaculatæ Conceptionis.

Nos infrascripti, in Conventu Regio de Pontibus, pro secundæ Congregationis intermediæ celebratione congregati, declaramus attestamurque, hanc Provinciam Immaculatæ Conceptionis, aliarum Galliæ Provinciarum instar, uni Reverendissimo Patri Ministro Generali totius Ordinis S. Francisci dependentiam vovisse: ab illo solo à tempore fermè immemorabili Commissarios accepisse: nec Reverendissimo Familiæ Commissario subjacuisse. Res ita esse statutas ordinatasque firmiter tenemus, atque edocti sumus tum diuturna consuetudine ac statutis nostris municipalibus, tum Bulla Clementis VIII. ac edictis Regiis. In quorum fidem subscripsimus omnes in hocce Conventu Regio de Pontibus hac die 20. Junii 1744.

Fr. Honoratus Chastillon Minister Provincialis.

Fr. Junianus Duboucher ex-Provincialis.

Fr. Paulinus Maison-grande Custos Custodum.

Fr. Theodosius Picon Diffinitor.

F. Florentius Andrè Deffinitor.

Fr.

Fr. Ferdinandus Lamaziere Deffinitor.
Fr. Celsus Muret Deffinitor, & Deffinitorii Secretarius.

Adest alia similis declaratio die 25. Junii 1745., ab iisdem, & a viginti sex Guardianis subscripta.

Iterum eadem, cum subscriptione etiam omnium Guardianorum.

Diffinitorium & Discretorium hujusce Recollectorum Provinciæ Britanniæ, omnibus unanimiter consentientibus, declarat, ac de novo decernit, velle manuteneri in possessione immemorabili, & nunquam interrupta, quâ gaudent omnes nostræ Recollectorum Galliæ Provinciæ, conformiter ad Bullam Clementis VIII., ad Decreta Suæ Majestatis, & ad nostra municipalia Statuta: dependendi videlicet immediatè à solo Reverendissimo Patre totius Ordinis Ministro Generali; ac nullo modo recognoscendi auctoritatem Reverendissimi Patris Commissarii Familiæ: & approbat quidquid usque nunc super hoc negotio fecit, & in futurum faciet R. A. Pater Marcus Antonius Gravois Diffinitor Generalis Ordinis, quem rogat, ut pro eodem terminando Procuratoris Provinciæ munus & officium exerceat. Datum Landerniæ die 26. Septembris anni 1745.

Provincia Britanniæ.

Fr. Benignus Hubert Commissarius Generalis.
Fr. Jacobus Abgrali Minister Provincialis.
Fr. Stephanus Le Goff ex-Provincialis.
Fr. Mauritius Godefroy Provinciæ Pater.
Fr. Innocentius Hævis Custos Custodum.
Fr. Clemens Rossclin Diffinitor.
Fr. Julianus Moisson Diffinitor.
Fr. Joannes Maria le Bechec Diffinitor, & Diffinitorii Secret.

Extractum è Sessione Deffinitorii, Lugduni congregati tempore Provincialis Capituli die 11. Maii Matutinis horis anni 1745.

Deffinitorium Provinciæ S. Francisci in Gallia Recollectorum, attendens ad usurpationes Reverendissimi Patris De la Torre Commissarii Familiæ, prætendentis, sibi jurisdictionem in Provincias Recollectorum Galliæ arrogare, declarat, se firmiter adhærere velle Decretis Pontificiis, & Regiis, quibus nostræ prædictæ Provinciæ semper immunes sunt factæ à jurisdictione alterius Superioris de Observantia, cujuscumque sit dignitatis, à Reverendissimo Patre Ministro Generali totius Ordinis, cui soli pro tempore existenti semper immediatè subjacuerunt, & imposterum subjacere statuerunt in-

Provincia Sancti Francisci, seu Lugdunensis.

depenter ab omni alio Superiore Generali, ut constat invariabili & immemorabili illa possessione, in qua se huculque custodierunt, & in qua Provincia nostra testificatur meliori modo, quo possibili, velle manuteneri; & ideo nos subsignati approbamus quidquid R. A. Pater Marcus Antonius Gravois Deffinitor Generalis in hoc negotio gessit; & ei potestatem facimus, jus nostrum ita prosequendi, ut in posterùm tàm à dicto Reverendissimo Patre Dela Torre, quàm à suis Successoribus in officio Commissarii Familiæ, perturbari & lædi non possit. Actum in Diffinitorio, tempore Capituli Provincialis congregato die 11. mensis Maij anni 1745.

Fr. Marcus Antonius Aubert Commissarius Generalis.
Fr. Salvianus Morin Minister Provincialis.
Fr. Alexander Dela Forge ex-Provincialis.
Fr. Justus Perron Custos.
Fr. Germanus Plagniard Diffinitor.
Fr. Andeolus Mouter Diffinitor, & Diffinitorii Secret.
Fr. Policarpus Rambos Diffinitor.
Fr. Albertus Morin Diffinitor.

Provincia Sanctissimi Sacramenti.

Diffinitorium, & Discretorium Provinciæ Sanctissimi Sacramenti Fratrum Minorum Recollectorum in Gallia, firmiter inhærens Decreto protestationis contra prætensam Superioritatem Reverendissimi Patris Commissarii Generalis Cismontanæ Familiæ supra nostram Provinciam, Decreto quidem facto per Diffinitorium die 2. Februarii anni 1688. in Conventu nostro Brivæ, tempore Congregationis in eodem celebratæ pro proximo accessu Vocalium Provinciæ ad Capitulum Generale, jam tunc temporis citatum, & Romæ celebrandum. Porro Decretum Diffinitorii Provinciæ nostræ ea occasione factum, cui de novo inhæremus, quodque, in quantum opus est, renovamus, scriptum legitur lib. 3. Regestorum Provinciæ ejusdem nostræ pag. 46. his verbis.

Simile Decretum jam fecerat anno 1688.

Quia Reverendissimus Pater Commissarius Generalis Familiæ Cismontanæ Litteras citatorias pro celebratione Capituli Generalis sub signo sigilloque suis in nostra Provincia publicare fecit, quasi ipsi subjiceremur (quod sibi persuasum esse, factum illud innuit) Diffinitorium huic usurpatæ à Reverendissimo Commissario Familiæ Cismontanæ supra nos jurisdictioni, in quantum nunc opus est, totis viribus sese opponit, injungens Patribus nostris Vocalibus ad Capitulum Generale jamjam accessuris, ut unà cum aliis Recollectis Galliæ de hoc in Capitulo Generali conquerantur. Et sic terminatur;

Quia

Quia autem Reverendiſſimus Pater Joannes Dela Torre Commiſſarius Generalis actualis Familiæ Ciſmontanæ, ſuas patentes Litteras ex Matrito die 1. Januarii anni currentis 1745. unà cum encyclicis Reverendiſſimi Patris Miniſtri Generalis ad noſtram Provinciam direxit pro celebratione Capituli Generalis proximè futuri, pluresque alias patentales Litteras idem Reverendiſſimus Commiſſarius Generalis ad hancce noſtram Provinciam, vel etiam ad aliquos particulares Fratres ejuſdem, direxit labente hoc ultimo trienno, Diffinitorium & Diſcretorium noſtræ Sanctiſſimi Sacramenti Provinciæ, omnibus unanimiter conſentientibus, declarat, ſeſe totis viribus hîc & nunc opponere, ſicut, & in quantum opus eſt, ſeſe de facto opponit executioni quarumcumque patentalium Litterarum à Reverendiſſimo Commiſſario Familiæ Ciſmontanæ directarum vel ad Provinciam ipſam, vel ad aliquem Provinciæ particularem Fratrem. Quapropter publicationem prædictarum patentalium Litterarum, pro celebratione Capituli Generalis proximè futuri miſſarum per Reverendiſſimum P. Joannem Dela Torre Commiſſarium Generalem Familiæ Ciſmontanæ, apud nos publicari vetat Diffinitorium & Diſcretorium; Quod è contra, eâ qua par eſt obedientiâ, zelo, & ſubmiſſione ſuſcipiens eaſdem Litteras encyclicas ad Provinciam miſſas immediatè per Reverendiſſimum Patrem Miniſtrum Generalem, eaſdem in hoc præſenti Capitulo, & in tota Provincia publicari, & obſervari præcipit idem Diffinitorium, & Diſcretorium: Decernens præterea, ſe velle manuteneri in poſſeſſione ſemper firma, & nunquam interrupta, quâ gaudet Provincia noſtra ab erectione ſua, conformiter ad Bullam Clementis VIII. & Decreta Regia, nec non & ad Statuta edita, & approbata pro Provinciis Recollectorum Galliæ, dependendi videlicet immediatè à ſolo Reverendiſſimo Patre Miniſtro Generali totius Ordinis S.P. N. Franciſci, ac nullo modo recognoſcendi auctoritatem Reverendiſſimi Patris Commiſſarii Familiæ. Et approbamus quidquid hucuſque fecit, & in futurum faciet R. A. P. Marcus Antonius Gravois actualis Diffinitor Generalis totius Ordinis, quem enixim deprecamur, ut in hoc negotio Procuratoris noſtri munus agere dignetur. Actum in Seſſione communi Diffinitorii, & Diſcretorii Provinciæ Sanctiſſimi Sacramenti Fratrum Minorum Recollectorum in Gallia, tempore celebrationis Capituli Provincialis in Conventu Tutellæ die 22. menſis Maji an. 1745. ſub ſignis noſtris, & majori Proviuciæ Sigillo, hora promeridiana.

Subscribunt Patres novi & veteris Diffinitorii cum omnibus Guardianis.

Fr. Martinus Beynier Commissarius Generalis.
Fr. Simeon Vergne Minister Provincialis.
Fr. Anselmus Vezy ex-Provincialis.
Fr. Celsus Vachon primus Provinciæ Pater.
Fr. Ludovicus Custos.
Fr. Marcellus Lacroix primus Definitor.
Fr. Mathæus Moussours secundus Difinitor.
Fr. Patritius Martin tertius Difinitor.
Fr. Onesimus Certocin quartus Difinitor.
Fr. Norbertus Greslaiche ex-Custos.
Fr. Hieronymus Dusaget ex-Definitor.
Fr. Bruno Ladoux ex-Custos & ex-Definitor subrogatus.
Sequuntur subscriptiones omnium Guardianorum.

Num. 15.
Pater Polycarpus Milet à Reverendissimo Rhini fuit deputatus in Visitatorem Provinciæ, tunc Custodiæ S. Nicolai in Lotharingia.

Elenchus Commissariorum Visitatorum, qui ad Provinciam, & respectivè Custodiam S. Nicolai in Lotharingia missi sunt. Primò = R. P. Berardus Heurion, à Reverendissimo Patre Cajetano à Laurino anno 1742. deputatus. 2...23. *R. Pater Polycarpus Milet Provinciæ S. Dionysii à Francisco Maria Rhini die* 28. *Aprilis* 1671. Deputatus 24..... Hæc series Commissariorum à Reverendissimis Patribus Ministris Generalibus nostris nominatorum, & ad nos missorum, evidenter probat, nulli unquam alteri jurisdictioni nos subjacuisse, neque alterum ab ipso Patrem agnovisse, sicuti nec agnoscere nunc volumus, nec possumus. Hæc autem series est accurata, & ex Archiviis nostris fideliter excerpta; in cujus veritatis fidem &c. Die 13. Januarii 1744. Fr. Placidus Trotyanne Minister Provincialis Recollectorum S. Nicolai in Lotharingia. Fr. Berardus Henrion primus Provinciæ Pater. Fr. Anselmus Evrard ex-Provincialis. Fr. Benedictus Noirel Deffinitor.

Num. 16.
Pater Juvenalis Doulcet anno 1671. fuit ad Provinciam Britanniæ missus Visitator ab eodem Ministro Generali.

Series Commissariorum super Provinciam Britanniæ delegatorum.

Anno 1671. *R. P. Juvenalis Doulcet ex Diffinitor Provinciæ S. M. Magdalenæ* missus fuit Commissarius in istam Britanniæ Provinciam *per Patentales Reverendissimi Patris Mariæ Rhini à Politio Ministri Generalis*, datas in Magno Conventu Parisiorum de die 22. Aprilis 1671. Subscr. Fr. Franciscus Maria Rhini à Politio M. Gener. De mandato &c. Fr. Antonius à Lossada Henriques Secret. Gener.

Anno 1674. R. P. Laimer ex-Provincialis Provinciæ Recollectorum Immaculatæ Conceptionis missus fuit Commissarius

ab

ab eodem Reverendissimo Patre Francisco Maria ....

Hæc omnia sunt accuratè & fideliter sumpta ex libro nostræ Provinciæ Recollectorum Britanniæ. In quorum fidem Sigillum majus apposuimus, & sic subscripsimus anno 1744. Fr. Stephanus le Goff Minister Provincialis. Fr. Nathanael Baylon primus Diffinitor. De mandato S. R. A. Paternitatis, Fr. Didacus le Verenne Secret. = Loco ✠ Sigilli.

Num. 17. *R. P. Hiacynthus le Fevre à Rmo Bonaventura Poerio anno 1695. in Visitatorem Provinciæ S. Andreæ fuit deputatus.*

Extractum è Registro Provinciæ S. Andrææ Fratrum Minorum Recollectorum in Belgio = Nomina R. A. Patrum Commissariorum ab anno 1688. usque ad præsens tempus, qui Provinciam visitaverunt .... 3. Anno 1695. *R. A. Pater Hiacynthus le Fevre* ex-Diffinitor Generalis, & Provincialis actualis Provinciæ S. Dionysii in Gallia, *institutus est Visitator*, *ac Præses* Capituli Provincialis *à Reverendissimo Patre Bonaventura Poerio* totius Ordinis Seraphici Generali Ministro. Anno 1698. R. Pater Oliverius Juvernay, ejusdem Pronvinciæ S. Dionysii Lector Theologus,] electus est à Reverendissimo Patre Matthæo à S. Stephano Generali Ministro...Hæc extracta sunt ex Registro Librorum Provinciæ Sancti Andrææ FF. Minorum Recollectorum in Belgio. In quorum fidem subscribimus Duaci in Flandria 4. Septembris 1745. Fr. Bruno Devaulx Minister Provincialis, & Notarius Apostolicus.

Num. 18. *Diffinitorium Provinciæ Sancti Bernardini sub die* 10. *Septembris* 1741. *declarat, solum Generale esse suum Superiorem; & præcipit, ut à suis Regestis eradatur Epistol a Rmi Torre.*

Extractum è Regesto Provinciæ Recollectorum S. Bernardini in Gallia = Sessio Secunda Capituli Provincialis, habita 10. Septembris 1741.=Ut non attentetur auctoritati Reverendissimi Patris Generalis, & cohærenter ad Bullas Apostolicas, & Decreta Regia, quibus nobis prohibetur, alios à Ministris Generalibus agnoscere Superiores, præcipit Diffinitorium, ut Epistola Reverendissimi Patris à Torre Familiæ Commissarii eradatur è Conventuum Regestis, in quibus fuit inserta.

Ita est Fr. Benignus Hubert Commissarius Generalis.
Fr. Michael Angelus Basset Minister Provincialis.
Fr. Philippus Ripert ex-Provincialis, & ex-Diffinitor Generalis.
Fr. Epiphanius Jean Custos.
Fr. Joannes Franciscus Tremoulet Deffinitor.
Fr. Theophilus Blachas Deffinitor.
Fr. Cherubinus Dumas Diffinitor.
Fr. Renatus Bilhion Diffinitor, & Diffinitorii Secretarius.

Extractum de verbo ad verbum è libro, in quo continentur

Acta & Decreta Diffinitorii. Massiliæ 6. Novembris 1744. Fr. Cherubinus Dumas Minister Provincialis = De mandato R. A. Patris Provincialis = Fr. Basilius Maure Secretarius. Loco ✠ Sigilli.

Num. 19.

Die 27. Octobris 1742. Provincialis Provinciæ S. Bernadini, cum tribus sui Diffinitorii Patribus, recurrit Rmo à Laurino pro licentia anticipandi Congregationem.

Reverendissime Pater = Jam exoratam Reverendissimam Paternitatem Vestram iterum exoramus nos infrascripti, quatenus dignetur concedere anticipationem Congregationis intermediæ; hoc exigit pronunc status rerum, & bonum Provinciæ nostræ. Datum Villæ novæ prope Avenionem die 27. Octobris 1742.

Fr. Michael Angelus Basset Minister Provincialis.

Fr. Philippus Ripert ex-Diffinitor Generalis, nec non ex-Provincialis.

Fr. Epiphanius Joan Custos.

Fr. Theophilus Blachas Deffinitor actualis.

Num. 20.

Die 28. Octobris, iidem Patres Reverendissimo Torre recurrunt pro eadem licentia.

Villæ novæ prope Avenionem die 28. Octobris 1742. = Reverendissime Pater. Nos, qui de die 9. Septembris anni præteriti Capitulum Provinciale celebravimus, cupimus, si fas est, & si placet Rmæ Paternitati Vestræ, item celebrare Congregationem intermediam, quam anticipandam fore judicamus propter urgentia, quæ oriuntur, & quæ possunt oriri negotia, quibus forte ultra differretur, quam par est, & incommoda multa, quæ prævidemus infallibiter evenirent. Itaque consiliis, & prudentiæ R. A. Patris Roger Deffinitoris Generalis acquiescentes, ad vestram recurrimus Reverendissimam Paternitatem, quatenus Litteras patentes ad hoc necessarias, nobis concedere dignetur. Novimus plane, nos ipsi esse immediatè subjectos; & jure, voluntarièque gloriamur, & volumus, ab ipsa omnino dependere. Speramus à sua bonitate, illam quamprimùm nobis tale beneficium præstituram, & insuper præfatas Litteras patentes ad prædictum R. Patré Roger Deffinitorem Generalem Parisios directuram. Utinam nostri grati animi effectivam significationem pro tanta gratia in vestram utilitatem effundere possemus. Hoc desiderabimus, & pro dierum diuturnitate, ac prosperitate Vota nostra rependemus, qui sumus ea, qua par est, veneratione, sicut & obsequio, Reverendissimæ Paternitatis Vestræ, Reverendissime Pater = humillimi, & obsequentissimi Servi, & Subditi.

Fr. Michael Angelus Basset Minister Provincialis Recoll. Provinciæ S. Bernardini in Gallia.

Fr. Philippus Ripert ex-Diffinitor Generalis, nec non ex-Provincialis.

Fr.

Fr. Epiphanius Jean Custos actualis.

Fr. Theophilus Blachas Diffinitor actualis.

Sequitur legalizatio facta a P. de Olozaga die 21. Novembris 1744.

Num. 20. *Iidem apud Reverendissimum Torre conqueruntur, quod Rex Christianissimus prohibuerit executionem licentiæ obtentæ; hortanturque eumdem Rmum, ut apud Summum Pontificem & apud Reges Christianissimum, & Catholicum instet, pro removendo à Curia Romana Patre Gravois, auctore dictæ prohibitionis.*

Reverendissime Pater = Litteras patentes, tàm gratiose datas, magna cum cordis & gratitudinis effusione recepimus. Jam nunc à Rege approbatas, & sigillo munitas, per Provinciam eas mittere cogitabamus pro citanda nostra Congregatione; cum ex parte Regis ipsiusmet nobis fuit intimata hujus celebrandæ prohibitio, & audivimus Patrem Marcum Antonium Gravois, qui sanè didicit nostrum recursum ad Paternitatem Vestram Reverendissimam, esse auctorem illius prohibitionis. Ad obtinendam revocationem Regii Ordinis subreptitii nihil non agimus; & speramus, mediantibus Patronis, quos ad hoc instruimus, promptam & plenam satisfactionem. Multum tamen interest, Reverendissime Pater, ut Paternitas Vestra Reverendissima auctoritatem Regis Hispaniarum faciat intervenire apud Regem Christianissimum, qui juxta Decretum Capitulorum Generalium eam pro legitimo Superiore à Gallis ordinet, & præcipiat agnosci, digneturque retundere audaciam Patris Gravois, legitimitatem vestram in omnibus Provinciis vestræ jurisdictionis annihilare contendentis. Insuper Summo Pontifici scribere dignetur Paternitas ipsa Rma, quatenus à Curia Romana abire jubeat Patrem illum perturbatorem, qui a longo tempore zizania disseminare, & Provincias inquietare non desistit. Si Reges Hispaniarum, & Galliæ, qui ad vestram auctorizationem concurrere debent, talem Patrem pro suspecto non repræsentent, sciendum habeat Paternitas V. Reverendissima, quod semper Provinciæ vestræ dissentionibus agitabuntur, & nunquam planè debitam ipsi præstabunt obdientiam. Ex parte nostri, nedum ei tamquam unico legitimo Superiori obedire volumus, sed machinas omnes ardenter adhibebimus, ut unusquisque in toto Regno ipsi præstet obsequium, ut par est. Amicitiam nobis conservet benevola Reverendissima Paternitas, suggeratque nobis quid agere debemus contra rebelles, & rebellium commotorem. Sumus etenim ad omnia dispositi, utpote Reverendissimæ Paternitatis Vestræ humillimi, & obsequentissimi Servi, & Subditi.

Sequitur legalizatio ab eodem P. de Olozaga facto.

Num. 21.
Tres alii Diffinitorii ejusdem Provinciæ Patres certiorant Rmum a Laurino de exilio extra Provinciam à Rege Christianissimo dato tribus Patribus ex iis quatuor, qui ad Reverendissimum Torre recursum fecerant.

Massiliæ die 29. Martii 1743. = Reverendissime Pater = Noverat jàm Paternitas Vestra Reverendissima, quibus afflictabatur malis Provincia vestra S. Bernardini; quin & super his ingemuerat, dum eam præsentiâ suâ, è Capitulo Generali rediens, condecoravit. Efficacius ipsis afferre remedium non poterat, quàm ut eorumdem malorum auctores, & quasi fautores eliminarentur. Hæc erant omnium proborum Religiosorum vota, qui sub dura nimis, & quæ secundùm Deum non erat, dispotica dominatione ingemiscentes, ea, quæ sunt Regulæ nostræ, vix, ac ne vix quidem observare valebant. Hoc nobis tandem remedium attulit providentia divina, quæ nunquam patitur nos tentari supra id quod possumus. Nostræ igitur obligationis esse putamus, Paternitatem V. Reverendissimam certiorem facere, quod Rex noster Christianissimus, malis Provinciæ vestræ jàm periclitantis occurrere volens, R. A. P. Philippum Ripert ex-Provincialem, R. P. Epiphanium Jean Custodem, & V. A. P. Theophilum Blachas Deffinitorem in alias Galliæ Provincias, Patrem scilicet ex-Provincialem in Provinciam Burdigalensem, P. Custodem in Provinciam Tolosanam, & P. Deffinitorem in Provinciam Aurelianensem, auctoritate sua oblegaverit. Mirabitur sanè Paternitas V. Reverendissima, quod eò usque oblivionis devenerit R. A. P. Philippus Ripert, ut auctoritatem vestram respuens, ad Commissarium Familiæ recurrerit, ut contra quod prohibueratis, Congregatio nostra celebraretur. Hoc jàm prohibuerat per Edictum Consilii sui Rex noster Christianissimus, quibus non obstantibus, jàm Patentes Litteræ ab ipso Commissario Generali obtentæ fuerant, & in Curia Tolosani Parlamenti homologatæ. Tam inauditum agendi modum ferre non potens Curia Galliæ, eumdem R. A. P. Philippum Ripert, & ejus asseclas procul hinc in exilium misit, ut ibi temeritatis suæ pœnas luerent......... Fr. Marcus Antonius Aubert Theologiæ Lector, Provinciæ Pater = Fr. Cherubinus Dumas Theologiæ Lector, & Deffinitor = Fr. Renatus Bilhion Theol. Lector, & Deffinitor.

Num. 22.
Respondet Reverendissimus à Laurino præcedenti Epistolæ.

RR. PP. = Vestras de die 29. Martii datas recepimus Litteras. Summoperè dolebamus de malis, quibus nostra Provincia S. Bernardini afflictabatur. In Domino confidimus de vestra religiositate, & regularitate pro eradicatione abusuum, quibus undique scatet. Ægrè accepimus agendi modum R. P. Ripert, recurrentis ad Reverendissimum P. Commis-

sa-

ſarium Generalem Familiæ pro celebratione veſtræ Congregationis, contra jus noſtrum, & prohibitionem, quam miſeramus de non accelerare ipſam. Nunc factorum ſuorum pœnas luet. Die 19. Aprilis 1743.

Num. 23. *Epiſtola Provincialis Provinciæ S. Dionyſii anno 1724. ad Reverendiſſimum Generalem à S. Laurentio ſcripta, circa prætenſionem, quam tunc habuit Commiſſarius Familiæ.*

Rm̃e Pater. = Veſtrum, quo de die 7. Decembris proximè elapſi, dignatur Reverendiſsima P. V. me honorare, reſponſum accepi, in quo his duobus verbis, *nihil innovetur*, totam ſolvit difficultatem, quæ poſſet oriri inter Reverendiſsimum P. Commiſſarium Generalem & nos; hoc enim totum nos prætendimus, *ut nihil innovetur*. Veſtri Recollecti Galli, præ veneratione & reverentia ſemper ita fuerunt ſuo Generali addicti, & ſubjecti, ut ab ejus auctoritate *immediata* nequaquam voluerint ſeparari: quod fuit practicatum à prima ſuæ Recollectionis erectione uſque in hodiernam diem, *nec uſquam interruptum*; & hoc juxta Bullas Summorum Pontificum, præſertim juxta Bullam Greg. XIII. datam Romæ 3. Junii 1579. quæ incipit: *Cum illius vicem* = in qua ait, *Generalis Miniſter tantum*, minimè autem alii dictorum Fratrum de Obſervantia Prælati, aut Commiſſarii, in dictos Reformatos juriſdictionem, viſitandique & corrigendi facultatem habeat: quod & Clemens VIII. declaravit, repetendo prædictam Bullam in ſua = *Pro injuncti nobis*, data Romæ 26. Martii 1601. quas Bullas confirmavere Paulus V., Gregorius XV., *Urbanus VIII.* &c. Et juxta eas condita ſunt Statuta noſtra municipalia, ſic auctoritate Regia munita, & in ſupremis Regni Curiis conſcripta, ut qui tentaret aliquid contra moliri, certè non permitteretur. Commiſſarius Generalis nequidem *unicum* juriſdictionis actum circa nos aliquando exercuit, etiam poſt *Capitulum Valliſoletanum*, in quo ex Provincia noſtra, & ex quatuor aliis Provinciis noſtræ nationis nullus adſuit; & compromiſſo iſtius Capituli ad noſtros relato, obligati ſunt juſſu Regio, dato San-Germani in Laya 18. Julii 1670. ad Summum Pontificem appellare, & *compromiſſum pro nihilo habere*. Deinde conſtat, nos non habuiſſe unquam niſi Commiſſarios ex Reformatione, & natione noſtra *ab ipſo dumtaxat Miniſtro Generali* miſſos, & delegatos pro viſitandis Provinciis, & Capitulis noſtris celebrandis. Videbam nuper Commiſsionem Reverendiſsimi P. Bonaventura à Pöerio, conſignatam à R. A. P. *della Torres Secretario*, qui perquam optimè noverat jura Commiſſarii Familiæ, quæ ſi fuiſſent circa nos, proculdubio ſuſtinuiſſet; cum præſertim Commiſſarius Generalis, pro tunc eſſet ſuæ nationis. Concurrimus equidem in ultimo Capitulo ad ele-

electionem illius Reverendiſsimi Patris, & in hoc ſecuti ſumus viam patrum noſtrorum, qui & ita proceſſerunt in quolibet Capitulo, & ſecundum uſum Ordinis concurrerunt ad electiones hujuſmodi. Ex his conſtabit P. V. Reverendiſsimæ, nos pleno & perſeveranti jure recurrere ad Reverendiſsimam P. Veſtram *pro quo libet*, & ſic ſperamus non ægrè laturam, ſi expoſtulaverimus, ut quæ ſunt intimanda, velit per Secretarium ſuo nomine approbatum nobis intimare; & iterum atque iterum repeto, nos ad obedientiam promptos & paratiſsimos experietur; finem faciens deprecor paternam veſtram benedictionem. Sum & manebo ſemper cum omni reverentia, & filiali ſubmiſsione: Verſallis 17. Januarii 1724. P. V. Reverendiſsimæ = humillimus, & obſequentiſsimus filius, & ſervus Frater Julianus Gueſdron, Provincialis Recoll. Proviuciæ S. Dionyſii in Francia.

Num. 24.
Alia Epiſtola à P. Saturnino Dirop Recollectorum Diffinitore Generali, eodem anno, & ad eumdem Reverendiſſimum à S. Laurentio pariter ſcripta.

Reverendiſsime Pater = Quod in negotio de immediata Reverendiſsimæ P. Veſtræ ſubjectione noſtra adhortatur peragere, quidquid pacis & unitatis amor poſtulat, ſuæ benignitatis eſt, & affectus verè paterni. Quod autem libello ſupplici ſuper hac cauſa ſibi porrecto ſubſcripſit, ut *nihil innovetur*, ſapientiæ ſuæ præjudicio totam rem confecit. Nihil enim aliud noſtrates cupiunt, nihil petunt, quàm ut nulla ſuperinducatur novitas ſuis Inſtitutis, Summorum Pontificum Conſtitutionibus, maximè Gregorii XIII. in Bulla, quæ incipit (*Cum illius vicem*) & Urbani VIII. in illa, quæ incipit (*Pro injuncti nobis*) ſancitis, & Regia auctoritate firmatis. Neque verò à viginti tribus annis, qui inter duo Capitula Romana effluxerunt, jus noſtrum deſumimus; totum illud temporis ſpatium, quam longum eſt, pro ſimplici Sexennio computetur, & ad præcedens ſiſtema redeatur, per nos licet; & nobis favet, qui Reverendiſsimis Patribus Matthæo à Sancto Stephano, Bonaventura Pöerio, Petro Sormano, & omnibus retrò Miniſtris Generalibus e familia Ciſmontana aſſumptis paruimus, ut ex Archiviis Ordinis conſtare poteſt. Certè noſtra plena ſunt eorum Litteris Encyclicis, & Patentibus pro deputatione Viſitatorum in noſtris Provinciis. Quin & V. R̃ma Paternitas me indignum, & alios Commiſſarios pro ſimili viſitatione in ipſo nuperi Capituli proceſſu, & exinde deſtinavit ipſo Reverendiſſimo Patre Commiſſario Familiæ præſente, & utpotè jurium noſtrorum uſuumque gnaro, non reclamante. Ab ejuſdem manus auctoritate Commiſſarios Viſitatores, & Epiſtolas Circulares recipimus. Neque etiam ad Capitulum Generale Valliſoletanum de anno 1670. re-

referendum est &c. Diffinitoriatus Generalis inter Recollectos exordium, sed ab altiori origine repetendum, ab anno scilicet 1625., quo fuit factum super hoc Decretum, & ab anno 1633., quo executionem obtinuit: ex quo tempore usque ad præsentem diem nunquam, aut vix, defuit unus Diffinitor Generalis Recollectus. In his tamen Capitulis, Romano 1625., & Toletano 1733. nulla fit mentio subjectionis nostræ Commissario Generali Familiæ. Quod si hæc conditio in Decretum Capituli Vallisoletani irrepsit, illi non assenserunt nostræ Provinciæ, quarum paucæ huic Capitulo intererant. Unde ab illo Decreto Capituli Generalis de expresso Regis mandato appellaverunt ad Summum Pontificem, & ipsum executione omninò caruit, ita ut Reverendissimus Pater Franciscus Maria Rhini à Politio Minister Generalis, in eo Capitulo electus, non solùm in Francia, cum ibi esset Commissarius Apostolicus, sed etiam post suum in Italiam reditum, omnem in nos jurisdictionem immediatam exercuerit, quam à Reverendissima P. Vestra præstolamur. Illi proinde minimè mirum videri debet, quod omnes nostri una voce reclamaverint, licèt unanimiter ad electionem Reverendissimi Patris Commissarii Generalis Familiæ concurrerint; ità enim in omnibus Capitulis factum est, & in ultimo Victoriensi, memini, me ad similem electionem convenisse; & tamen, illà peractà, omnes & singuli Reverendissimò Patri Bonaventuræ Pöerio, quoad subjectionem immediatam, adhæsimus. Hæc breviori stilo (quæ forte alii fusiori) Reverendissimæ P. Vestræ rescribere debui, quæ & benigno favore excipiat, & paternam impendat benedictionem, humiliter deprecor. E Conventu Vestro Cuburii ad Montem Relaxum die 28. Januarii 1724. Reverendissimæ P. Vestræ = obsequentissimus Filius, & humillimus Servus = Fr. Saturninus Dirop, ex-Minister Britanniæ, Diffinitor Generalis.

Præsentes copias, quarum prima incipit *Reverendissime Pater: Vestrum &c.* & desinit: *Provinciæ S. Dionysii in Francia*; secunda vero: *Reverendissime Pater = Quod in negotio &c.* desinit: *Exminister Britanniæ Diffinitor Generalis*: Concordare de verbo ad verbum cum originalibus Litteris, quæ asservantur in Archivio Generali Ordinis Conventus Aracœlitani, testor ego infrascriptus ejusdem Archivii Custos hac die 12. Julii an. 1745.

F. Antonius Maria de Medioliano = Archivii Generalis Custos.

Ex-

Extractum Epistolæ a R.P. Anselmo Vezy Ministro Provinciali Recollectorum Provinciæ Sanctissimi Sacramenti die 27. Februarii 1744. scriptæ.

Num. 25.
Quid evenerit circa tres Religiosos Provinciæ Sanctissimi Sacramenti, quibus Reverendissimus Soto licentiam dederat transeundi ad Provinciam Aquitaniæ recentioris.

Anno 1724. litem habuimus cum Observantibus Provinciæ Aquitaniæ recentioris, occasione translationis apud ipsos, tribus nostris Religiosis concessæ à Reverendissimo Soto Commissario Familiæ, Pater Delom, tunc temporis Provincialis dictæ Aquitaniæ Provinciæ, coactus fuit memoratos tres Religiosos nobis restituere, qui ab illo tempore apud nos remanserunt, & remanent. Invenire non potui Litteras, tunc scriptas Reverendissimo à Sancto Laurentio, nec ejusdem Reverendissimi responsa; sed inveni duplicatum cujusdam Memorialis super hoc negotio, nomine Provinciæ nostræ præsentati Illustrissimo Domino de Laurilliere, qui erat Minister Regis.

ADDITIO

Gratiarum actiones, quas Vocales Recollectorum Galliæ Rmo Patri Generali in Scriptis præsentarunt, ob Decisionem Causæ de qua agitur.

Reverendissimo Patri P. Raphaeli à Lugagnano totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Generali.

Reverendissime Pater = Infrascripti, decem Recollectorum Galliæ Provinciarum Vocales, Paternitatis Vestræ Reverendissimæ humillimi Subditi, filiique obsequentissimi, ea qua par est veneratione, & reverentia, profundissimas iterùm, atque iterùm ei rependunt gratias, pro tot ab ejus paternali benignitate, tàm à se, quàm à dictis suis Provinciis, receptis beneficiis, ac inter alia, pro Sententia favore ipsorum anno 1745., de Mandato Sanctitatis Suæ, contra Reverendissimi Patris Commissarii Generalis Familiæ prætentiones, lata, & pronuntiata, quæ in omnibus dictis Provinciis unanimi omnium, & singulorum Patrum gaudio, & exultatione fuit recepta, & à Regiis Majestatis Suæ Christianissimæ Ministris Summoperè collodata, & approbata. Nec mirum, ipsa enim in omnibus, & per omnia conformis existit, tùm Constitutionibus Apostolicis Gregorii XIII., & Clementis VIII., pro dictarum Provinciarum fælici, prosperoque gubernio emanatis, in quibus expressè præcipitur, ut solus Minister Generalis easdem regere debeat, & gubernare; tùm municipalibus ipsarum Statutis, in qui-

in quibus dictæ Constitutiones inseruntur; tùm & continuæ praxi gubernii earumdem Provinciarum; à centum enim & quinquaginta annis, nullæ inveniri poterunt Congregationes, nullaque Capitula auctoritate Commissarii Generalis Familiæ celebrata: imò nec ullus ad eosdem recursus (excepto tamen illo; adeò irregulari, anni 1742.) ex parte vel Provincialium, vel Diffinitorium Provinciarum. Quapropter tàm pro Vestra Reverendissima Paternitate, quàm pro RR. AA. Patribus, memoratæ Causæ Conjudicibus preces ad D. O. M. effundere non cessabimus. Dat. in hoc vestro S. Mariæ de Aracœli Conventu hac die 7. Maii anni 1750.

Fr. Michael Angelus Izuöelen Provincialis Britanniæ.

Fr. Stephanas le Goff Custos, & Pater Provinciæ Recoll. Britanniæ.

Fr. Renatus Bilhion Minister Provincialis S. Bernardini in Gallia.

Fr. Paulus Beauchamps Custos ejusdem.

Fr. Tiburtius Barat Minister Provincialis Provinciæ S. Dionysii in Gallia.

Fr. Emmanuel Duprez Minister Provincialis Provinc. S. Andræa in Belgio.

Fr. Angelus Laurent Custos ejusdem Provinciæ.

Fr. Benignus Hubert pro Secunda Vice-Provinc. S. Mariæ Magdalenæ Minister.

Fr. Martinus Lambert Custos ejusdem Provinciæ.

Fr. Alexander Delaforge pro tertia Vice-Minister Provincialis Provinciæ S. Francisci in Gallia Recollectorum.

Fr. Benignus de Villaret ejusdem Provinciæ Custos.

Fr. Andrianus Gouzot Minister Provincialis Prov. Sanctissimi Sacramenti in Gallia.

Fr. Amadæus Audibert ejusdem Provinciæ Custos.

Fr. Valentinus Desmarets Provincialis Provinciæ S. Antonii in Artesia.

Fr. Franciscus Daniel Gricourt Custos ejusdem Provinciæ.

Fr. Henricus Toussaint Provincialis S. Nicolai in Lotharingia.

Fr. Bernardinus Barbason Custos ejusdem Provinciæ.

Fr. Florentinus André Pro-Minister Provinciæ Immaculatæ Conceptionis Recollectorum in Gallia.

Fr. Marcellinus Girault Custos Provinciæ S. Dionysii in Gallia.

Deest solummodo Subscriptio Custodis Provinciæ Immaculatæ Conceptionis, qui, ob infirmitatem, ad Capitulum non accessit.

